
377
D
8







# JACOBI BOURICII

FRISII. I. C.

# ADVOCATUS.

DANIELIS XII.

*Qui ad Justitiam erudiunt multos, quasi Stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.*



HARLINGÆ FRISIORUM,

Typis *HERONIS GALAMA*, Bibliopolæ.
cIↄ Iↄc LXVI.

# *Præfatio ad Filium.*

EA rerum humanarum conditio eſt, GISBERTE fili, ut hominum vulgus, de omnium artium ac ſcientiarum præſtantiâ ac vilitate, ſibi ſumat Judicium, & ut plurimum propter abuſum, hominumque malitiam, ſcientiam artemque, humanæ ſocietati utiliſſimam, maximèque neceſſariam, rejiciat atque contemnat: perperam certè de rebus ipſis Judicans. Neque enim, ut rectè quidam dixit, propter ſycophantas, & ſophiſtas, cæterarumque rerum abuſum, eloquentia, & ipſæ res, ſed illi qui bonis rebus abutuntur, in crimen vocari debent. Cum nulla res tam ſit bona ac ſalutaris, quæ malè utendo, depravari non poſſit: Quemadmodum quoque nihil in rebus humanis tam ſanctum, tam pium, tam cœleſte eſt, quod hominum corruptiſſimi mores, ſibi non vertant in perniciem. Exemplo ſunt ſcientiæ illæ primariæ, Theologia nimirum, Juriſprudentia, & ars Medica: quæ licet in humanâ vitâ, & ad rempubl. benè feliciterque adminiſtrandam, uſque adeò neceſſariæ ſint, ut iis pulſis atque remotis, ſumma rerum omnium confuſio, quam ἀταξίαν Græci vocant, ſucceſſura ſit: quotidianâ tamen docemur experientiâ, præclaras iſtas ſcientias, hominum malignitate ac vitiô tantoperè perverti, ac abuſu fœdari, ut locô ſalutis, & præſentis & futuræ, quam adferre poſſunt & debent, hominem in malorum lernam, æternumque interitum præcipitent, atque demergant.

Etiamsi enim Theologiæ, præpotentis illius & gloriosæ omnium artium reginæ, scopus finisque sit, hominem ad veram DEI notitiam adducere, timorem divini numinis, hominum animis incutere, & ad immortalis vitæ beatitudinem assequendam erudire; Ea tamen impietate & perversitate, in literis sacris docendis explicandisque, à multis retrò seculis, Spiritus quidam erroris, ac mendaces magistri (ita enim eos vocat *D. Paulus*) versati sunt, & versantur etiamnum, hôc seculô corruptissimô, sacræ Scripturæ locis, ad errores suos stabiliendos, ac prava dogmata detortis, abutentes, ut magna pars hominum, hôc nostrô, heu nimis infelici ævô, non solùm ad pernitiosas, damnatasque hæreses, & dogmatum monstra, fidei simul ac concordiæ *Christianæ* venena, sed ipsissimum Atheismum decurrat atque delabatur: Cùm tamen nemo sit tam obesæ naris, corruptique Judicii, qui id Theologiæ sacræ imputandum, asscribendumque arbitretur. Et quidam rectè dixit, non ideò damnandam esse sacrarum literarum exactam cognitionem, si quidam suô vitiô, sibi vertant in perniciem, quod suapte naturâ bonum est ac salutiferum. Consimiliter quoque de Iurisprudentiâ, & arte Medicâ dici potest, quarum illa, licet dicta factaque hominum, ad juris Iustitiæque normam componat, certisque regulis, præceptisque constringat, & ut unicuique quod est suum, tribuatur, efficiat: Hæc corporis sanitatem, aut à morbis præservet, aut amissam restituat atque restauret; Lippis tamen & tonsoribus notum est, homines improbos, omni ætate, inventos fuisse permultos, & nunc quoque non paucos reperiri, qui & Iurisprudentiâ,

tiâ, & arte Medicâ ad pernitiem, ad corruptelam, ad magni denique parvique mundi conturbationem, abutuntur: Quis, quæso, sanæ mentis, prædictis scientiis artibusque propterea debitum honorem laudemque abrogandam, detrahendamque existimabit? Iniqua siquidem (teste *Cicerone*) in omni re, accusanda, prætermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio: Nam istô modô, ut idem *Cicero* ait, vel consulatus vituperabilis est, si consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Quod & de rebus omnibus ac DEI donis, ad usum vitæ suppeditatis ac necessariis, dici potest, quæ tamen propter abusum non rejiciuntur neque damnantur. Denique, quid est in rebus humanis tam felix, cui non suæ pestes sint additæ? Quid tam malum, quod non aliquam utilitatem adferat? nam & ex viperæ carne, singulare morbis remedium fit, quod theriacam appellant. Quòd si ita se res habet, uti revera se habet, non te turbare debet, GISBERTE fili, vel alium quemcumque Advocatum probum, quòd advocationem, rem pulcherrimam (teste *Plinio Secundo* in Epistolis) tantoperè plerique homines insectentur, probrisque excipiant, quorundam improborum advocatorum perfidiâ commoti. In quos, & veteres Iureconsulti, & moderni meritò invehuntur, convitiaque projiciunt; Digni siquidem sunt qui traducantur, ac perstringantur, & non foro tantum, sed hominum quoque societate pellantur, & ad Scythas, aut Sauromatas, & si quæ sunt aliæ magis barbaræ nationes, relegentur, nunquam redituri. Te itaque moneo, GISBERTE fili, ut professionis tuæ dignitatem præ oculis habeas, nec à

tramite recto, ullius vel hominis, vel rei gratia, unquam deflectas, clientes tuos in causis justis, fortiter diligenterque tuearis atque defendas: Id quod te facturum spero, si monita præceptionesque meas, in hoc tractatu libenter legeris, atque relegeris, nec cujusquam exemplo malo, à via virtutis abduci te patiaris: Tibi siquidem, & fratri tuo consanguineo Hectori, si quando ad hanc professionem illum pervenire contingat, hunc qualemcumque laborem sumpsi, mihi gratulaturus, si ad alios quoque utilitatis aliquid inde promanaverit. Nec vero existimo, quemquam tam morosum ac iniquum censorem fore, qui mihi vitio vertendum arbitrabitur, quod ipsemet Advocatus, de *Officio Advocati*, ad filium Advocatum scribam, eumque præceptis salutaribus instruam, qui, exactis in hac professione annis triginta tribus, litibusque propemodum contritus, *Homericum* illud de me prædicare non verebor,

νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα καλά τε καὶ τὰ χερῆα:

Imò teste *Nasone*,

——— ——— *Seris venit usus ab annis.*

Praxis quidem forensis scientiam, multò felicius perfectiusque, ex Tancredo, Speculatore, Ferrariensi, Maranta, Schenck, aliisque consummatissimis practicis hauries, sat scio, sed hujus Curiæ stylum, formamque procedendi in causis, tum civilibus, tum capitalibus, & quæ in iis tractandis vel observanda, vel fugienda, vitandaque sunt, hic tractatus noster, aliquatenus tibi suppeditabit, nisi me fallit animus. Ut ut sit, tibi gratum fore hunc laborem meum nihil addubito, certus, nihil à me proficisci, quod tu gratissimo

ſimo animo, ac peramanter non ſis amplexurus. Vale, GISBERTE fili, & Ethnici Poëtæ ſententiam hanc planè Chriſtianam; *Eſt profectò Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt*, menti tuæ imprimas, infixamque retineas, quæ ſæpius ruminata efficiet, ut nihil dicturus facturuſque ſis, imò ne quidem cogitaturus, quod Deum, ex alto res actioneſque hominum proſpicientem, ac corda reneſque ſcrutantem, offendere queat.

*Leovardiæ, ipſis Calendis Ianuariis, anno reparatæ ſalutis humanæ, milleſimo ſexcenteſimo quarto.*

# BENEVOLO LECTORI S.

*MEditationes hasce meas de Officio Advocati, in suprema Curia Frisiæ, ante complures annos quasi delineatas ac adumbratas; & paulatim ad instar fœtus ursini, lambendo in formam præsentem effigiatas, ac tandem ad umbilicum (quod dici solet) perductas, in manus hominum emittendas existimavi: Non quidem eò, quod pro dignitate Advocationem à me tractatam, aut non ab aliis plenius doctiusque pertractari posse, confidam, (cum hoc seculum nostrum, doctissimorum & exquisitorum hominum, in qualibet facultate, copiam proferat) sed potius, ne caducis tantum laboribus, vitam hanc brevem fluxamque fatigasse, silentioque transegisse videar: Maximè vero, ut iis, qui praxin forensem hujus Curiæ aggressuri sunt, tanquam veteranus nauclerus, multis variisque naufragiorum periculis ereptus, viam modumque commonstrem, ut scopulos quosdam effugere, ac veluti Scyllam Charybdimque præternavigare, & evadere queant. Scio equidem & fateor, ac non sine animi dolore errores meos, quibus in praxi, tanquam undoso & æstuoso pelago exagitatus ac involutus fui, quotidie recolo: sed quid facias? conqueri licet, mutare vel corrigere non licet. Illud certè Christiana postulat charitas, quam Christus Dei filius, Servator noster, tantoperè nobis præcipit & inculcat, ut alios idem iter ingressuros, meis periculis cautiores reddam, ne in consimiles aliquando scopulos impingant. Quod si vero non eô verborum ornatu, styloque tersô ac limatô hasce meditationes conscriptas quisquam arbitrabitur, aut alicubi à me erratum putabit, (nihil enim tam humanum quàm*

*labi*

*labi & errare) dabit, ut spero, mihi in salebrosis practicorum traditionibus, annis fermè triginta tribus versato, litibusque, tum exercendis, tum in tribunalibus inferioribus decidendis, penè detrito, veniam. Neque enim alium mihi scopum propositum habui, quàm ut iis, qui deglutitis in scholâ legibus, scabrosam illam difficilemque praxin forensem, (quâ velut asperâ quadam tempestate relictâ, in tranquillum quendam, & securum jam portum confugi, ut intrà cor meum arcam salutis ædificem) auspicaturi sunt, in quâ leges, ut ita dicam, digeruntur, ac in nutrimentum vertuntur, præceptionibus monitisque datis prosim, eorumque commodis inserviam. Quo fit, ut in spem certam adducar, fore, ut benevolus lector, & symmystæ mei, operam hanc studiumque meum æqui bonique consulturi sint, versiculi illius* Flacciani *memores:*

Est aliquid prodire tenùs, si non datur ultrà.

*Neque verò quemquam fore reor tam iniquum rerum æstimatorem, qui me reprehendendum existimabit, quod alicubi datâ occasione, quosdam Advocatorum errores vitiaque liberius insector, cum id sine cujusquam fiat reprehensione (neque enim quisquam nominatim perstringitur) & materia ipsa istius modi taxationem interdum postulet. Ut ut est, è multis doctissimis practicis, quòs habet hæc ætas, qui mihi & ingenio, & dicendi facultate præstant, aliquem hisce meditationibus excitatum iri spero, qui de Officio Advocati, ex professo doctius elegantiusque, Ciceronem, aut Fabium illum Quintilianum secutus, scripturus sit, ac rem pro dignitate, verborumque pondere pertractaturus. Id si*

*factum fuerit, bene mecum actum putabo, nec me studii laborisque hisce meditationibus insumpti, unquam pœnitebit. Quod si vero quisquam sit, qui aliquâ parte à me erratum putabit, eum obnixè oratum volo, ut liberè candidèque errores aperiat atque demonstret. Is enim sum, qui mediocritatis meæ, curtæque suppellectilis, non ignarus, labi & errare me poße, libens profiteor, & errores commonstratos promptissimè sum agniturus, & correcturus. Proinde hac præsenti epistolâ, coram omnibus protestor, nihil mihi, qui veritatem, justitiæ matrem, rebus omnibus anteponendam agnosco, & hujus tractationis patronam constituo, gratius accidere poße, quàm si errores mihi declarati fuerint. Quem non solum humanæ fragilitatis communis sors ab omni probro tuebitur, sed & illa celebris apud Xenophontem sententia, quæ habet:* Haud facilè opus aliquod reperias, cujus nullam partem quisquam repeprehendat: difficile namque est, ita quicquam peragere, ut nihil erres. Et quod Imperator Iustinian. ipsemet quoque declarat, Omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis quàm mortalitatis esse, ab omni reprehensione contemtuque facili negocio me vindicabit. *Vale, Benevole Lector, & quicquid tandem est quod offertur, hilari fronte, & in bonam partem accipe. Ipsis Cal. Ianuariis, 1605.*

D E

# DE OFFICIO ADVOCATI.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Etymologia vocabuli, & variis Advocati appellationibus.*

ANTEQUAM ad ipſam tractationem accedamus, operæ precium facturos nos arbitramur, ſi vocabuli etymon explicemus, ac præmittamus, quod in aliis omnibus diſciplinis factitandum eſſe, ſuadet Ulpianus *in L. 1. ff. De juſtit. & Iure.* Et nemini quidem dubium eſt, quin à compoſitâ dictione, Advoco, derivationem habeat: Advocare ſiquidem ſignificat, aliquem ad ſe vocare, alicujus rei gratiâ: In hac noſtrâ materiâ ſignificat, aliquem ad ſe vocare, ut ope conſilioque adſit, ac in judicio patrocinium præſtet: Hinc Advocatus, qui in exercendâ lite alicui jus ſuggerit, ac præſentiam commodat. Varias autem eſſe Advocati appellationes, extra controverſiam eſt: Aliquando enim cauſarum patronus, *l. 4. ff. de poſtulando l. advocati C. de Advoc. diverſ. judic.* nonnunquam cauſidicus, *l. 6. C. de poſtulando l. 2. C. de Advoc. diverſ. jud.* ſubinde orator, ſæpè togatus dicitur. *l. 3. 5. 6. 8. 9. C. d. Tit. Ambroſ. Epiſt. ad Marcellum. 24.* Eſſe verò nomen honoris ac dignitatis, teſtantur Imperatores

unde Advocati nomen sit derivatum:

varia ejus nomina et appellationes

tores Tit. ſuis, *De Advocatis diverſorum Judicum, & de Advocatis diverſorum judiciorum*: Quod uſque adeò verum eſt, ut Zaſius *ad Tit. de juſt. & jure*, dicat & colligat, Judæos doctores & Advocatos eſſe non poſſe, ob id quod Advocatum eſſe, dignitas ſit, *l. laudabile. C. de Advoc. div jud. l. finali C. de poſtulando.* unde & infames ab Advocatione repelluntur, *l.* 1. *&* 3. *ff. de poſtulando.* qui tamen, ut & Judæi, Procuratores eſſe permittuntur, quod vile munus ſit procuratoris § *fin. Inſt. De excep. gloſſa & Bart.* Porrò & Syndici univerſitatum Advocati dicuntur ac defenſores, quos vulgus impropriè Penſionarios appellat, ex eo quòd ſalarium è publico percipiant, quod abuſivè fit, cùm penſio apud claſſicos ſit id, quod pro alicujus rei uſu ſolvitur, veluti domus, vel agrorum penſio, quam conductores ſolvunt locatoribus ſuis *l. lecta.* §. *igitur. ff. De rebus creditis.* Imperator verò Juſtinianus, honorificis nominibus Advocatos appellat, quos nunc judiciorum athletas, nunc oratores maximos, & juſtitiæ ſatellites appellat. *in procem. Pandectarum verſic. diſcip.* Alciatus in *l. credimus C. de pactis.* eos nominat patronos & oratores cauſarum, qui in foro, & vivâ voce cauſas tuentur.

Judæi non possunt esse Advocati!

Syndici Universitatum impropriè appellantur Pensionarij:

---

## Cap. II.

## De Definitione ſeu deſcriptione Advocati.

Etymologiam vocabuli, variaſque Advocati appellationes, cap. primo retulimus, ex quibus definitionem

onem non difficulter colligere licet, quem his verbis definimus; Advocatus eſt, qui in Judicio, apud eum qui Juriſdictioni præeſt, cauſis agendis vacat, operamque navat, atque præſentiam ſuam vocatus commodat. *c. dilect. de dolo & contumacia.* Nam qui excuſat eum, qui ipſemet in jus venire nequit, nec alium mittere poteſt, propriè excuſator dicitur. Quod plerunque in cauſis judiciiſque capitalibus contingere ſolet, in quibus admittitur aliquis, ut reum abſentem excuſet. Definitioni autem prædictæ congruit ea deſcriptio, quam ponit Ulpianus *in L. 1. verſ. advocatos. ff. De variis & extraord. cognit.* his verbis: *Advocatos accipere debemus omnes omninò, qui cauſis agendis, quoquo ſtudio operantur.* Quâ quidem largâ deſcriptione, & Procuratores comprehenduntur. Nam & illi litibus in judicio peragendis, dant operam. Inter eos autem licet magna ſit vicinitas; duobus tamen potiſſimum ſecernuntur: quod nimirum procurationem nemo invitus ſuſcipere teneatur, *l. invitus C. hoc tit.* Advocatus vero etiamſi nolit, à prætore dari poſſit *l. 1. §. ait prætor. ff. De poſtulando.* Hi dignitatem habeant; illi nullam; cum & viles eſſe procuratores poſſint, ut antè dictum eſt. Deinde, quod in Advocato prætereà requiritur juris ſcientia, tempore ab Imperatore Iuſtiniano præfixo. *§. ſed quia verò ſolitum, in Proœmio Pandectarum*, acquiſita, tituliſque Doctoratus, vel Licentiæ inſignita atque comprobata; Quorum neutrum in Procuratore requiritur, ſæpe idiotis ac Latinæ linguæ imperitis, apud judices inferiores cauſas agentibus. In hac patriâ noſtrâ, in Supremâ Curiâ, Procuratores, cauſas in foro dicere, nunc non per-

 mit-

mittuntur, licet ex antiquis Curiæ prædictæ Commentariis, liquido pateat, Procuratores quoque admissos fuisse, sicut etiamnum in Curiâ Hollandicâ fieri videmus, & nos, cum in magno Senatu Mechliniæ Advocati munere fungeremur, fieri quoque conspeximus. Ut autem revertamur unde digressi simus, dicimus, ut antè quoque diximus, Advocatum esse eum, qui jus suggerit, ac præsentiam suam amico vel cuilibet alii, patrocinium opemque ejus desideranti, commodat. Omnium autem optimè ac honorificentissimè, non tam definiunt quàm describunt, Advocati munus, utilitatem & necessitatem, Impp. Leo & Anthemius, *in L. advocatis. C. de Advoc. divers. judiciorum.* quorum hæc verba sunt, *Advocati, qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus, in rebus tam publicis, quàm privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus providentes humano generi, quàm si præliis, atque vulneribus, patriam parentesque salvarent: qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & posteros defendunt.* Quâ quidem descriptione periphrasticâ, non solum munus officiumque Advocati graphicè declarant prædicti Impp. sed & dignitatem amplitudinemque omnibus numeris absolutam, ob oculos ponunt ac prædicant. Quam legem, nos aliquando, si Deus permiserit, latius persequemur, ac de dignitate Advocationis, ex professo tractabimus, ut eorum, qui huic professioni parum æqui, imo iniqui planè sunt, contradictiones contemptionesque redarguamus ac revincamus. Quamvis autem in jure, promiscuè Advocati dicantur, & causarum patroni, & causidici, & oratores, & Procura-

curatores, atque etiam cognitores, distinguuntur tamen apud classicos autores, *Budæus in adnotat. ad Pandectas.* qui patronum dicunt esse eum, qui defendit alium in judicio, Advocatum, qui jus suggerit: Procuratorem, qui negocium suscipit, mandato etiam absentis: Cognitorem verò qui præsentis causam novit, & sic tuetur, ut suam. Quid autem inter Cognitorem & Procuratorem intersit, tradit Alciatus, *lib. 2. parerg. cap. 5.* quem consulere licebit. Nos superius adductis contenti, non putamus necesse esse, hisce diutius immorari.

---

## Cap. III.

## *Quod sit officium Advocati in genere, erga Deum et homines.*

QUid sit Advocatus, & quemadmodum describatur, suprà diximus: nunc ordo postulat, ut de officio partibusque ejus dispiciamus. Antequam autem ad istam Tractationem descendamus ac progrediamur, illud præmittendum arbitramur, Advocati nimirum, ut cujuslibet hominis Christiani, munus ac officium, duabus potissimum virtutibus contineri: Quarum prior est, ut Advocatus de Deo ac religione rectè sentiat, alioqui in numero advocatorum haudquaquam recipiendus *l. fin. C. de postulando.* Et quidem meritò, cum præsumptio contra talem militet, quod bonâ conscientiâ causas non sit acturus, sed potius operam daturus, ut turpis lucri gratiâ, homines

adversus se invicem, tanquam canes committat: quod ii facere consueverunt, qui litium concinnatores appellantur, quos *Salomon* in Proverbiis *cap.* XVI. dicit; lites suscitare. Horum quoque meminit Ulpianus, *in l. nequicquam §. circa advocatos ff. De offic. proconsulis.* quos Alex. ab Alexandro *lib.* 4. *genialium dierum cap.* 15. describens, dicit esse homines improbos, qui novas lites, simulatis captionibus, & cavillis improbis in longum ducere student. Istiusmodi Advocatus non verebitur quoque, lites effictis mendaciis, verborumque lenociniis perpolire. Non erubescet quoque lites redimere quotidianas, atque pecuniâ mercari, illasque pactionibus muneribusque pellicere, qui & Vitilitigator, id est vitiosus litigator, fucatis argumentis, Judici imponens, ac alienæ litis interceptor dicitur: Quales, leges omnes, omniaque Jura exosos habent, ac foro & Advocatione prohibendos, ac tanquam reipub. pestes ulceraque nocentissima, pellendos fugandosque censent. Non cessabit quoque istiusmodi impius Advocatus prævaricari, id est, clientis sui jus causamque, parti adversæ prodere, & ut *Ulpianus* inquit, diversam partem adjuvare proditâ causâ suâ; & ut *Saturnini* verbis utamur, infidas advocationes exercere: *l. Athletas ff. De his qui not. infamia.* Denique excusso divini numinis metu, sacra prophanis, divina humanis miscere, & totam rempub. conturbare non desinet. Et sanè de istiusmodi Advocatis, accipiendus est locus *Taciti*, à *Lipsio* allegatus in politicis, *lib.* 2. *Cap.* 11. dicentis, publicæ mercis nihil tam venale esse, quam Advocatorum perfidiam. Cui congruit locus ibidem ex Columella citatus, qui in-

infidam *Advocationem*, concessum dixit esse latrocinium. Quæ convicia & dicteria, utique *Advocatos* probos non tangunt; quos bonæ testimonium conscientiæ, quæ ab homine divelli nequit, ac mille testium instar est, quamque *D. Paulus Apostolus*, gloriam dicit esse *Christianorum*, abundè solari poterit. Illi siquidem persuasum sibi habent, in occultissimis recessibus, & procul ab omnium oculis, atque adeò in corde ipso atque animo, se habere ac circumferre DEUM arbitrum, testem, & judicem, omnium etiam cogitationum suarum, cujus præsentiam reveriti, nihil non modò faciunt, sed ne in animum quidem admittunt, quod est nefarium ac turpe.

---

## CAP. IV.

### *Quomodo rectè inter homines aget Advocatus.*

REctè inter homines agere, ut est cujuslibet hominis *Christiani*, ita vel maximè Advocati. Nam cùm virtutis laus omnis in actione consistat, (teste *Cicerone*) & eum sibi scopum propositum habeat *Advocatus*, ut in judicio laborantibus suo patrocinio adsit, opem subsidiumque præstet, judicem de causæ meritis, bonâ fide rectâque conscientiâ instruat, quò id quod justum legibusque subnixum est, decerni, atque eâ viâ reipub. tranquillitas conservari possit. Utiqui *Advocato* adlaborandum enitendumque est,

 ut

ut 2° ut rectè inter homines agat.

ut quoad fieri poteſt, juris legumque ſcientiam ſibi comparet, ne illius ignoratione, aut Judicem in errorem inducat, aut clientem amiſsâ lite, in inutiles ſumptus conjiciat. Proinde operam dare debet *Advocatus*, ut hac parte ſibi proſpiciat, juriſque cognitionem exquiſitam comparet: Quam niſi pertinaci nixu, labore indefeſſo, teſte *Zaſio*, non conſequetur, qui, ſi in legibus non addiſcit, dediſcit. Nam ut exercitatio continua confirmat ſcientiam, ita inexercitatio ignorantiam parit. Quod uſque adeò *Ioanni* illi *Andreæ* cordi fuit, ut annis viginti in lecto dormire noluerit, quô ſolidam juris ſcientiam ſibi compararet, quam omnium quoque teſtimonio, ſummam conſecutus eſt. Ad quam, licet cuilibet adſpirare non detur, operam tamen hanc dare debet Advocatus, ut quatenus licet, jura legeſque addiſcat, non ignarus, improbo labori cuncta cedere, ac præterea *altius ituros*, teſte *Fab. Quintil. In proœmio Inſtit. Oratoriarum*, *qui ad ſumma nituntur*, *quàm qui præſumpta deſperatione*, *quò voluerint evadendi*, *protinus circa ima ſubſtiterint*. Neque verò reprehenſionem tantum meretur Advocatus, ſi jus, in quo verſatur, ignoret, quod & turpe eſt, *l.* 2. *§. Servius*, *ff. De orig. juris* ſed inſuper quoque pœnis legum obnoxius redditur. Tritæ ſiquidem juris regulæ ſunt, quod quiſque id ſcire teneatur, quod ad officium ſuum pertinet. Et quod imperitia culpæ adnumeretur. *§. præter. Inſtit. de l. Aquilia.* Quod quidem uſque adeò procedit, ut communi Doctorum calculo receptum ſit, Advocatum, ſi notabili ignorantiâ, aut negligentiâ cauſam clientis ſui juſtam perdat, tam in foro fori, quàm poli ad refun-

fundenda parti damna teneri, *Spec. tit. de Advocacis*: *argumento l. idem juris ff. ad l. Aquiliam.* cum is damnum dare dicatur, qui damni cauſam præbet, vulgatâ juris noſtri regulâ. Deinde quoque ſummâ ope adniti debet *Advocatus*, ut Juris præcepta, quæ profitetur, in omni vitâ obſervet. Quorum illud primum eſt, ut honeſtè vivat, id eſt ſobriè & continenter, neminem exemplo ſuo malo offendat. Nihil enim magis mores vulgi corrumpit, quàm ſi videat, viros doctos ingenuiſque artibus imbutos, ac in dignitate quoque conſtitutos, (advocatum ſiquidem eſſe, dignitas eſt *d. l. laudabile C. de advoc. diverſ. judic.*) diſſolutè vivere, aleâ tempus terere, luxùque diffluere: Ut è contrario nihil efficacius ad componendos hominum mores, quàm probata eorum vita, qui ſcientiâ & honore in repub. præfulgent, ac conſpicui ſunt. Quæ ipſa quoque efficiet, ut nemo ad injuſtæ cauſæ patrocinium ipſum advocaturus ſit. Solent enim homines improbi, calumnioſas injuſtaſque cauſas, iis advocatis committere, quos norunt, ſolius lucri, è re qualibet redacti, ſpem ſibi propoſitam habere, & abſque ullo diſcrimine, paſſim clientibus operam ſuam locare, quos divinus ille Philoſophus PLATO, accipitres pecuniæ appellat, qui tamen ipſi, juſtum ac tenacem propoſiti virum ita reformidant, ut limen domus illius ſubintrare erubeſcant. Quod ſi omnes Advocati eâ integritate, & conſtantiâ, quâ debent, lites tractarent, non ita malè ordo noſter apud populum audiret. Sed quia cum perfectis (teſte CICERONE) non vivitur, & præſens ſeculum nequam eſt, teſte APOSTOLO, unuſquiſque, qui vocationi ſuæ

ſatisfacere, Spartamque quam nactus eſt, ornare cupit, hanc dabit operam, hoc aget, hoc ſtudebit, ut vitæ integritate nomen famamque ſibi comparet talem, ut credant homines, nihil inhoneſtè, nihil injuſtè, nihil malitiosè facturum, etiamſi DEUM hominesque fallere poſſet, quippe qui ſcit & firmiter credit, DEUM nihil vel dictum, vel factum, vel cogitatum, latere poſſe.

---

## CAP. V.

### *Quod non ſufficiat, ſi Advocatus honeſtè vivat, niſi ab alterius læſione abſtineat, & unicuique quod ſuum eſt tribuat.*

PRæcepta juris prædicta, ut ad omnes in univerſum homines, nemine exceptô, ita quoque ad *Advocatum* pertinent: Et eo quidem magis, quòd profeſſio in quâ verſatur, illorum trium præceptorum obſervantiam ab eo poſtulet. Nam ſi *Advocatus* eſt Juſtitiæ miniſter, imò & ſacerdos, *Ulpiano* teſte *in L.* I. *ff. De juſtit. & jure.* juſtitiam colens, æquum ab iniquo ſeparans, licitum ab illicito diſcernens, certè nemo dubitare poteſt, quin *Advocatus*, tum demum officium facere cenſebitur, ſi DEO quod DEI eſt, λατρείας, id eſt adorationem tribuat, magiſtratui ejus miniſtro, omnem honorem, reverentiam atque obedientiam deferat, concivibus verò ſuis, fidelem operam

ram patrociniumque in civili & capitali causâ postulantibus, præstet. Id enim in *Advocato* propriè est, unicuique quod suum est tribuere, quod PSALMISTA *Psal.* XIV. vocat, operari justitiam, & in iis, qui in monte sancto DEI habitaturi sunt, requirit, non contentus, si ingrediatur sine maculâ, quod vitæ honestatem designat, quæ ad beatitudinem vitæ immortalis consequendam non sufficit, sed insuper proximo charitatis officia præstari vult, quod idem PSALMISTA vocat, bonum facere: Illa siquidem conjungit alibi, *Psal.* XXXIII. *Diverte*, inquit, *à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam*; *Solvere autem quod alteri debeas, ad omnes in universum homines spectat*, (*teste D.* PAULO *Apostolo, ad Romanos.* XIII. qui præcipit, ne cuiquam quicquam debeamus, nisi ut invicem diligamus: Ad hæc præstabit *Advocatus*, ne quemquam vel dicto, vel facto lædat, quod futurum est, si caveat, ne infidâ advocatione, proximum damno afficiat, propriam conscientiam peccato vulnerans. Nam si clienti suo injustam causam foventi, patrocinium præstet, & adversarium jus suum persequentem, dolosis subterfugiis & frustratoriis dilationibus impediat, ac remoretur, non solum proximum ac rempub. sed semetipsum lædit, iramque divinam in se provocat: Qui enim malum bonum, & bonum malum, lucem tenebras, & tenebras lucem appellat (teste *Prophetâ* ESAI. *cap.* X. abominabilis apud DEUM reputatur.

## Cap. VI.

## *Quomodo in litibus excercendis generaliter ſe gerete debeat Advocatus.*

PRæmiſſis officiis generalibus, ad omnes omninò homines pertinentibus, reliquum eſt, ut de officio *Advocati*, in exercendis litibus, in genere diſſeramus. Et ante omnia *Advocato* conſiderandum eſt; DEUM OPT. MAX. ad conſervandam inter homines concordiam, amicitiæ fontem, conſtituiſſe Reges, Principes, ac magiſtratus, jura legeſque dediſſe, ut juſtitiam adminiſtrent, omnem vim atque injuriam prohibeant, ac ne ad arma veniant, ſuas partes interponant. Sed cùm aliqui ingeniò, prudentiâ conſilioque deſtituti, ſibi ipſis in judicio ſupereſſe non poſſunt, nec quid juſtum ſit aut ſecus, indagare valent, neceſſitas rerum coëgit, ut quorundam hominum, ingenii, ſcientiarumque dotibus præditorum, opem ſubſidiumque implorent: hi *Advocati* ſunt; quorum eſt officium, omnes ingenii nervos intendere, ut hominibus diſcordibus, ac ad judicium vocatis, vel convolantibus, ſalutari conſilio adſint, quò ſuum conſequi, aut iniquam petitionem refellere atque avertere queant. Antequam verò cauſam in judicium deducant *Advocati*, omnem operam dabunt, ut, quatenus fieri poteſt, animos hominum, ad lites propendentes, ad pacem & concordiam inflectant, maximis multiplicibuſque litis incommodis, ob oculos poſitis; ut ni-

nimirum dicat *Advocatus*, ad causæ patrocinium vocatus; Negociosam rem esse, litigare, & non rarò susceptâ lite, periclitari amicitiam, ac dilectionem mutuam, tantoperè Christianis commendatam à Servatore nostro, scindi atque divelli; temporis quàm plurimum perire; facultates atteri, & quod omnium maximum est, animi tranquillitatem, cunctis rebus præferendam, perturbari; denique litem ἰλιάδα κακῶν secum trahere ac comitari; quod usque adeò verum est, ut Ulpian. *in L. 4. ff. de alienat. judicii mut. causa fact. verecundam cogitationem ejus qui lites execratur, non esse vituperandam*, asserat: præterquam, quòd litis, ut belli eventus dubius sit *l. quod debetur ff. de peculio.* ac non rarò major pars meliorem vincat. Quæ quidem usque adeò vera sunt, ut Poëta *Martialis* inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, quoque connumeret, nunquam litem habere. Quibus omnibus incommodis molestiisque enarratis atque propositis, si consultor deterritus à lite abstinuerit, ac ad transactionem, amicabilemque compositionem animum converterit, benè se res habet, & fecit *Advocatus* quod debuit; eò ipsô declarans, se non proprium compendium, sed consultoris utilitatem solam respicere. Quod si vero spretis omnibus prædictis, consultor omninò sibi litigandum arbitretur, multi siquidem in Frisiâ quasi morbo quodam litigandi detinentur, proxima cura erit *Advocati*, ut causæ propositæ merita diligenter excutiat, & si justam legitimisque probationibus fultam (si facti quæstio fuerit) subnixamque perspexerit, suo patrocinio defendendam tuendamque suscipiat, observatis iis, quæ juris scripti decisiones,

ac

ac ſtylus curiæ ordinationeſque obſervari præcipiunt, prout in ſequentibus latius declarabitur. Quod ſi verò cauſam injuſtam, aut legitimis probationibus deſtitutam intellexerit, omnibus modis ab eâ intentandâ eum dehortabitur, propoſitis animi periculis longè maximis, cujus jacturam facturus ſit, ſi in malitiâ perſeverans, proximo moleſtiam creaverit ſine cauſâ, non evaſurus quoque Curiæ cenſuram, quæ notorias litigatorum calumnias, in proceſſu deprehenſas, mulctâ pecuniariâ coërcere conſuevit, ut ex duabus antiquis hujus Curiæ ſententiis, xx. Decembris, anni CIↃ CI XLIX. pronuntiatis cognovimus. Quo caſu conſultori, ſi urgeat ac inſtet, patrocinium denegare, ac periculi prædicti commonefacere debet, ne peccati contagione inquinetur, quod futurum eſt, ſi eum falsâ victoriæ ſpe lactatum, in litem præcipitaverit, magnis incommodis ſumptibuſque obnoxiam, non ignarus, quod ſi ſuperior evaſerit, parti adverſæ ad reſtitutionem damni, ſin ſuccubuerit, clienti quoque ſuo omnia quæ injuſta lis abſtulit, reſarcire teneatur.

Notoriæ litigatorum calumniæ et fraudes in processu deprehensæ mulctâ pecuniaria à Curia puniuntur: Exempla

## Cap. VII.

### *Utrum juſtam cauſam foventi liceat, adverſarium injuſtè litigantem, dolò circumvenire.*

Quæstio

Apud interpretes quæſitum meminimus, utrùm *Advocato* juſtam cauſam foventi permiſſum ſit, adverſarium injuſtè litigantem, dolo techniſque circum-

cumſcribere. Et primâ quidem fronte affirmativa pars defendi poſſe videtur, ob id, quod reipub. expediat atque interſit, cauſam injuſtam perſequentem, tanquam improbum civem, & juſtitiæ perverſorem, reprimi, ac quoquo modo ſuccumbere; ut eâ viâ juſtitia, omnium rerumpub. ſalus & conſervatio vigeat atque floreat: injuſtitia, ſocietatis humanæ putredo, repellatur atque exterminetur. Quam *Advocati* intentionem, juſtam, probatamque utique nemo diffitebitur, ac proinde laude ac commendatione dignam: Nam & in Canonibus, & legib. civilibus reperiuntur regulæ quædam & axiomata, huic affirmationi patrocinantia; nimirum; permiſſum eſſe, uti dolo adverſus dolum adverſarii, ac verſutiam eludere: *c. dominus* 34. 2. *ibi gloſſa, verbo malignantium. Archid. & Gemma. in c. cupientes, de Elect. in* 6. Et in Reo, qui in veritate juſtam habet cauſam, omnino permiſſum eſſe aſſerunt DD. allegantes *Auth. quod attinet. C. de probat. & L. ſi quis in gravi. Ad Senatusconſ. Syllanianum*: Quod & *Alciatus in tractatu præſumpt. Reg.* 2. *præſumpt.* 31. defendit; imò & *D. Auguſtini* de bello exſtat ſententia hæc: *Cùm juſtum bellum ſuſcipitur, ut apertè pugnet quis, aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt.* Quibus tamen non obſtantibus, Euangelicâ lege, quæ omnibus nobis Chriſtianis mordicus obſervanda eſt, & retinenda in omnibus actionibus noſtris, ſi divinam gratiam conciliare nobis velimus, id nequaquam, nec in reo quidem permiſſum cenſemus. Diſertis ſiquidem verbis MOYSES, *Deuter.* XVI. omnibus, ſive in judicio, ſive extrà judicium negocia tractantibus, præcipit: *Iuſtè quod*



Reſp:

Neg:

*justum est persequere, ut vivas, & possideas terram, quam dominus* DEUS *dederit tibi.* Quinimò & apud Ethnicos ea in legibus duodecim tabularum extat de gerendis bellis sententia, his verbis; *Bella justa justè gerunto.* Intelligebant siquidem viri isti summâ prudentiâ præditi, istarum legum autores, licet Ethnici, posse bellum esse justum, & tamen non justè geri. Consimiliter quoque de litib. quæ privatorum sunt bella, dici potest: quæ, licet justæ sint, injustè tamen exerceri possunt. Quapropter *Advocati*, ista considerantes, cavere debent, ne sub hujusmodi colore, Adversarium clientis sui, licet injustè litigantem, dolo circumveniant, vel supplantent. Id enim si fecerint, non solum laudem apud cordatos piosque viros nullam inibunt, sed famam nomenque suum denigrabunt: ac semet conviciis probrisque objicient: denique iram & indignationem divinam, ut simulatores & callidi, in se provocabunt. Neque enim patitur DEUS, justitiam sacrosanctam, (quæ virtutum regina est, & virtutes in se continet omnes) technis, machinationibus ac mendaciis inquinari & contaminari; sed vult, eam veris legitimisque defensionibus sustineri atque defendi: non eget subdolo patrocinio ac fulcro: seipsam tuetur ac vindicat: premitur quidem ad tempus nonnumquam, sed non prorsus opprimitur: imo cum matre veritate, ut palma, contra impositum calumniarum onus assurgit. Ac proinde causa etiam justissima, in judiciis, non nisi veris, justis legitimisque modis & mediis est asserenda & promovenda. Quod si dicas, non posse te obtinere quod rectum ac justum est, nisi istis artibus ac dolosis machinationibus utaris,

Object:

res-

respondebitur, generalem esse regulam; non esse facienda mala, ut eveniant bona: & non licere tibi injustè agere, non magis quàm Adversariò. Præceptum enim DEI, omnes sine ulla distinctione homines stringit, prohibentis omnem injustitiam dolumque malum. *Deuter.* XXV. *Marci* X. Cui consonat D. PAULI Apostoli prohibitio disertis verbis concepta: *Epist.* I. *ad Thess. cap.* IV. *Ne quis circumveniat* (inquit) *in negocio fratrem suum.* Qui generalem quoque regulam DEI, Corinthiis *Epist.* I. *cap.* VI. in memoriam revocat. *An nescitis* (inquit) *quod iniqui regnum* DEI *non possidebunt?* Unde non excusabit te iniquitas adversarii tui, si eam imitatus fueris, ad excludendam illius iniquitatem & injustitiam, diffidens de potentia DEI; qui vera justitia & veritas ipsa cum sit, facilè, si volet, effecturus est, ut causa justa ad optatum finem perveniat. Quod si tu justâ causâ, veris legitimisque defensionibus usus, cecideris, quod aliquando fit, Iudicibus per sordes, aut imperitiam lapsis (homines enim sunt, labi & errare possunt) cogitare debes, mundum hunc in maligno positum esse totum, teste Apostolo, IOAN. *epist.* I. *cap.* V. & cum imperfectis tibi rem esse, qui quod æquum aut iniquum est, non intelligunt, aut licet intelligant, sequi recusant. Deinde & illud tibi persuasum habere debes, DEUM OPT. MAX. qui ad salutem nostram cuncta dirigit, velle, ut cum patientiâ (in qua animas nostras possidere debemus, teste CHRISTO, *Luc.* XXI.) injustam sententiam, tanquam hujus seculi afflictionem, excipias, ut, hujus vitæ pertæsus, discas, DEUM cum affectu orare, ut illius regnum,

justitiâ, veritate, ac pace plenum, adveniat tibi in hâc lachrymarum valle peregrinanti. Quod si verò justam causam, injustis modis ac mediis non licet tueri, prout ex literis sacris ostendimus, quid his *Advocatis* exspectandum erit, qui injustas causas (quas *Zasius* iniquorum advocatorum pascua vocat) ex professo agunt & tuentur, exiguo lucellò redempti? Profectò pessimè sibi tales *Advocati* consulunt: Nam & conscientiam perjurio vulnerant: hominum odium ac vituperationem sibi comparant: & famæ jacturam irreparabilem faciunt: ac velut abjectamenta populi contemnuntur; etiam ab iis, quos malis artibus ac dolis defenderunt atque tutati sunt. Utinam hæc *Advocatorum* mentibus insculpta impressaque hærerent! ac nobilitatem professionis suæ (*l. 7. C de postulando*) ipsi perpenderent! Certè non tam malè audiret apud vulgus hominum ordo noster, odio plus quàm *Vatiniano*, doctis infensum infestumque. Sed quia multi reperiuntur (proh dolor!) *Advocati*, qui, prædictorum obliti, solum lucrum, quo jure quàve injuriâ partum, tanquam scopum sibi propositum habent, ad quem collimant. Hinc illæ lachrymæ: hinc in *Advocatos* convicia, viris bonis honestisque non ferenda; quæ nunquam evitabunt, nisi bonâ fide ac conscientiâ causas agentes, ac eâ gravitate atque modestiâ praxin exercentes, quâ debent, ipsis factis ostendant, timorem DEI præ oculis se habere: ac operam dare, ut virtutis ac probitatis famam & existimationem apud homines sibi comparent. Atque huic quidem sententiæ nostræ adstipulatur quoque amplissimus vir *Ioachimus Hopperus*, *Eques auratus*, & *Status Belgici apud Philip-*

*lippum*, II. *Hisp. Regem*, *Consiliarius*, singulare Frisiæ decus & ornamentum, summus & philosophus & jureconsf. qui in libello, cui titulum fecit, Ferdinandus, sive de Institutione Principis, his verbis utitur: *Haud est bonum facere, nisi id ipsum benè facias; hoc est, eâ ratione ac viâ, quâ oportet: Unde in sacris literis judicia Dei justè judicari jubentur. Estque non minus vitiosum, rem justam facere injustè, quàm ipsum facere injustum.* Proinde non est, quod quisquam sibi blandiatur, si dicat; bonum esse dolum quo utitur, eumque legibus *Civilibus*, quinimò & *Canonicis*, permissum esse, solertiamque vocari à Jurisconsf. *l.* 1. §. 2. *ff. de Dolo malo.* Lex enim divina clara est ac rotunda, omnibus *Christianis* mordicus observanda, quæ omnem omnino dolum, fraudem, ac circumventionem proximi prohibet, absque ullâ distinctione & exceptione, si iram ac vindictam divinam incurrere nolint. DEUS enim non irridetur; cujus regnum aut sinceris animis adeundum est, aut æternum supplicium accipiendum.

---

## CAP. VIII.

## *De Cautionibus, quas Cautelas vulgò appellant, & quatenus Advocato usus earum permissus sit.*

CUm nemo ignoret, passim eos, qui forensem praxin exercent, malè audire, cùm ob alia, tum

eo quoque nomine, quòd vulgus hominum jactitet ac spargat; nihil ferè in exercendis litibus Advocatos agere, quàm ut adversarium, certis quibusdam verborum formulis, tanquam decipulis, callidisque machinationibus ac tricis circumscribant, cautiones nempe denotans, veri earum usus ignarum: operæ precium nos facturos existimamus, si & hanc ab *Advocatis* calumniam, sinistramque opinionem, amoliamur. Illud quidem negare non possumus, exstare multorum scripta, quibus cautelarum materia pertractatur ex professo, quæ in omnium manibus sunt. Inter quos celeberrimus est *Bartholomæus Cæpolla Veronensis*, insignis autor, qui in hac materiâ primas facilè tenet. Cujus in causis criminalibus responsa, quæ consilia vulgò dicuntur, per totam Europam omnium manibus teruntur. Hunc secuti sunt complures alii, *Thomas Ferratius*, *Ioannes de Arnono*, *Marc. Ant. Blanc.* *Raimondus Pius Fickard.* qui in diversis hominum judiciorumque actionibus, varias cautiones clausulasque literis mandârunt. Quarum aliquæ non solum ineptæ sunt, atque ridiculæ planè, sed quoque impiæ reperiuntur, homine ethnico, imò *Barbaro*, *Gotho* ac *Vandalo*, nedum *Christiano* indignæ, quæ expungi, perpetuoque premi silentio, merentur. Quas nos vulgi dicteriis, contumeliosisque *Advocati* appellationibus, occasionem præbuisse arbitramur, ut nunc rabulæ forenses, modo vulpes, nunc pilorum sectores, ac Curiarum canes & harpyiæ dicamur, aliisque probrosis nominibus passim traducamur. Hæc ut effugiant *Advocati*, operam dare debent, ut verum legitimumque cautionum (quæ & remedia à Jurisconsultis ap-

Quid sint cautelæ?

appellantur *l. ſtatu liberos. §. idem Servius. ff. De ſtatu liberis. l. ſi quis duos ff. De ſolut.*) uſum intelligant atque percipiant; ut eâ ratione ſibi clientibuſque, quos in fidem ſuam receperunt, prodeſſe ac proſpicere queant. Id enim, Iurisperiti munus eſſe ac officium, teſtatur *Cicero*, eloquentiæ parens, *libro* 2. *de officiis.* his verbis: *In jure cavere, conſilio juvare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quam plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam.* Proinde *Advocati* officium in eo verſari exiſtimamus, ut in cauſis agendis, litibuſque exercendis, rectè legitimèque cautionibus atque juris remediis utatur, proſpiciens, ne adverſæ partis malitiâ doloque deceptus, cliens damnum accipiat, ac in captionem incidat. Neque enim alius cautelarum uſus admittendus eſt: Nam adverſarium clientis ſui, doloſis ac reprobatis technis ac machinationibus triciſque circumvenire, & ſupplantare, Chriſtiano, bonæque fidei *Advocato*, permiſſum non eſſe, etiamſi injuſtam ille cauſam foveat, cap. 7. diſſeruimus, ac ſacræ Scripturæ autoritatib. confirmavimus. Nam & D. PAULUS Apoſtolus, *Epiſt.* 1. *cap.* XIV. expreſſis verbis monet Theſſalonicenſes: *Ne quis* (inquit) *fratrem ſuum in negocio ſupergrediatur ac circumveniat.* Et Coloſſenſibus prædicit; *eum, qui injuriam facit, recepturum id, quod iniquè geſſit.* cap. 3. Utetur itaque *Advocatus* circumſpectus cautionibus licitis, remediiſque juris permiſſis, à *Cæpolla*, aliiſque autoribus traditis, tanquam pharmacis quibuſdam, à morbis impendentibus corpus præſervantibus, non verò venenis malis (ſunt enim & venena bona, teſte *Cajo in l. qui venenum ff. de verb.*

*ſig-*

*significat.*) adversario clientis sui damnum præjudiciumque inferentibus: Id enim nec *Advocato* Christiano, nec viro vel politicè probo, licere antè diximus: Interim tamen, non imus inficias, ad munus officiumque providi *Advocati* quoque pertinere, ut istas cautelas reprobatas, vafriciasque captiosas, notas perspectasque habeat; ut eâ ratione ac viâ, adversarium, istiusmodi decipulis utentem, repellere, atque à cliente damnum avertere possit. Nam ut Medico non solùm salubrium herbarum est notitia necessaria, sed & noxiorum quoque pharmacorum ac venenorum; ut à se aliisque, opem illius implorantibus, malum arcere ac fugare possit: Ita quoque Jurisperito & Advocato, in foro versanti, (cui *Ulpianus in l. justitia. versic. finali ff. de justit & jure.* justi injustique scientiam tribuit) harum cautelarum reprobatarum notitia necessaria est; ne illarum ignoratione in captionem incidant, quos patrocinio suo defendendos suscepit. Et sanè rectè *Ulpianus* injusti scientiam jurisperito tribuit, *in d. l. justit.* praxin vero minimè; utpote qui non ignorabat, legum scopum esse unicum, pœnarum metu homines in officio continere, & à delictis deterrere. Tametsi juxta *Plinium Secundum*, in Epistolis, *lib. 2. Epist. 27. Nos, qui in foro versamur, verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus.* Concludendum itaque in hac materiâ est; licere non tantùm *Advocato*, sed & expedire, ut cognoscat, quid sit reprobatum, quid noxium: sed proximo nocere, damnumque dare, artibus illis reprobatis, & lege charitatis, à CHRISTO nobis traditâ *Matth.* VII. vetamur, & honestati politicæ, quam Ethnici quo-

quoque ſervarunt, minimè conſentaneum eſt; quod *Cicero* eleganter & latè in libris de officiis tractat. Ad quam charitatis legem, tanquam ad *Lydium* lapidem (quod dicitur) hominum actiones examinabuntur. Ut autem revertamur, unde digreſſi ſumus, dicimus; ſcientiam eorum, quæ prava noxiaque ſunt, improbari non poſſe, quando non in hoc nobis mala proponuntur, ut ea ſequamur, ſed ut cognita vitemus ac deteſtemur. Alioqui enim nec venenatæ rerum materiæ, nec virus ejaculantia reptilia, ſcripto prodenda eſsent, ne aliqui his ad perniciem utantur. At cùm venenatorum cognitio hoc commodi præbeat, ut ne ignari ab illis lædamur, aut vitæ damnum incurramus, non mirum eſt, ſi *Advocato* reprobatarum cautionum notitiam neceſsariam eſse concludamus.

---

## CAP. IX.

## *Quod ſit officium Advocati in tractandis litibus coram hac ſupremâ Curiâ.*

HOc membrum capite ſexto tractare cœpimus, ſed non plenè diſcuſſimus: ideoque conſultum eſſe arbitramur, illud paulò plenius excutere. Diximus prædicto capite, *Advocato* ante omnia advigilandum, ne quaſlibet cauſas, abſque diſcrimine, agendas ſuſcipiat: ſed ut merita ejus, quæ intentanda defendendaque proponitur, diligenter examinet, ac re in omnes partes perpensâ, eam tantùm ſuo patrocinio tuen-

dam adſumat, quam juſtam, legitimiſque rationibus probationibuſque fultam, perſpexerit. Ut autem id conſequatur, adniti debet, ut animum ab omnibus affectibus habeat liberum: Nam ſi, vel amore vel odio, vel ſpe vel metu, præoccupatus fuerit, nullo modo quod juſtum æquùmve, aut ſecus eſt, percipere poterit. Quod eleganter *Boëtius* in libro de conſolatione philoſophiæ, *lib.* 10. his verſibus deſcribit:

*Tu quoque, ſi vis, Lumine claro*
*Cernere verum, Tramite recto*
*Carpere callem, Gaudia pelle,*
*Pelle timorem, Spemque fugato:*
*Nec dolor adſit; Nubila mens eſt,*
*Vinctaque frenis, Hæc ubi regnant.*

Liber enim in deliberatione debet eſſe animus, nec ullis affectibus abripi: liber autem eſſe nequit, cui affectus imperant & cupiditates dominantur. Quem, quia aliqui *Advocati* ad cauſam concreditam non adferunt, fit, ut non tam quid juſtum æquumque ſit, quam quid ad victoriam cauſæ, quam ſuſceperunt, obtinendam expediat, inquirant: & ſi ſpes victoriæ nulla ſuperſit, hoc agunt, hoc moliuntur, ut adverſarium litemque, dilationibus pluribus ac tergiverſationibus extrahant, moraſque injiciant, & quantum fieri poteſt, immortales reddant. Quo nomine peſſimè noſter ordo apud populum audit, atque traducitur, adeò quidem, ut in proverbium ferè abierit: *Quo quis jurisperitior, eò nequior.* Duriſſimum quidem & abominandum eſt iſtud dicterium, & viris honeſtis non ferendum: ſed ſi verum fateri velimus, reperiuntur ali-

aliqui, qui abſque ullo diſcrimine, ſi modo ſpes doloſi affulſerit nummi, cauſas agendas ſuſcipiunt, & quo minus habent in jure fundamenti, eò plus diligentiæ impendunt, ut eas ad optatum finem perducant. Quod ſi palmam, Judicibus circumventis, tenebriſque objectis, per fas nefaſque obtinuerint (quod nonnunquam fit; ſunt enim homines, labi & falli poſſunt) quaſi re benè geſtâ, gloriantur in malitiâ, & fertiliorem ſibi in poſterum praxin pollicentur. Qui tamen magis probare debebant, ſatius eſſe honeſtè vinci, quam vincere malè per contrarium ſpiritum; cùm animam lædat conculcata juſtitia. Hi & conſimiles *Advocati* in bonis viris connumerandi non ſunt; ſed potiùs tanquam carcinomata peſteſque reipub., hominum commercio atque ſocietate (ut antè diximus) pellendi. Nam, ut Nilus Epiſcopus & Martyr inquiunt: *Qui malis præſtant patrocinium, non ſolùm ſcelerum adjutores ſunt, ſed & peccati communione inquinantur.* Quod genus hominum *Plato* ille divinus uſque adeò execratur, *Dialogo.* 11. *de legib. in fine.* ut lege latâ civem, in rep. bene conſtitutâ, morte plectendum cenſeat, ſi avaritiâ juſtitiæ vires, in animis judicum, in contrarium vertiſſe, ac præter opportunitatem, multa litigia moviſſe, aut moventibus adfuiſſe, convictus fuerit. Et in iſtiuſmodi ritè quadrat probroſum dicterium antè relatum: de bonis & integris *Advocatis* non accipiendum; qui legibus & magiſtratibus obſequentes, in hoc ſolum incumbunt, ut unicuique quod ſuum eſt, ſalvum eſſe, concordia inter cives retineri, & reipubl. tranquillitas conſervari poſſit; quâ conturbatâ convulsâque, privatorum facultates in tuto eſſe non

possunt. Quemadmodum autem solicitè *Advocatum* prospicere debere diximus, ne injustæ causæ patrocinium ullatenùs suscipiat, alioqui gravissimè DEUM offensurus, Ita quoque cavere debet, ne justæ causæ defensionem requisitus deserat; præsertim, si pauperem, viduam, vel aliam personam miseratione dignam, causa concernat. Istiusmodi enim personis, omni humano præsidio subsidioque destitutis, in judicio laborantibus adesse, opemque ferre gratis, si paupertate premantur, tenetur, etiamsi à judice non injungatur: quo jubente si recusaverit, advocationibus sibi interdictum iri non dubitabit: *l. providendum. C. de postulando.* Cúm certum sit, ad officium judicis quoque pertinere, ut pauperi, adversus potentiorem litiganti, & advocatum habere non valenti, aliquem det atque constituat, *l. nec quicquam. §. observare ff. de offic. proconsulis.* Qui illius defensionem, & quidem gratis, ad litis eventum (si inopem se esse, & fidejussorem invenire non posse, jurejurando affirmet) suscipiat. Eâ siquidem declaratione factâ, ab impendiis Curiæ, ad litis eventum, liber erit. Proinde *Advocatus*, cujus partes sunt, quàm plurimos consilio juvare, si nomini famæque consulere volet, ac conscientiam liberare, enitendum sibi putabit, ne quisquam sit, qui sibi denegatum ab eo patrocinium fuisse, aut causam non pro dignitate plenèque tractasse, sed dicenda transisse, & quæ inculcanda, infigenda, repetendaque fuerant, cursim breviterque (quod *Plinius* prædictus prævaricationem vocat, *lib. 1. Epist. ad Corn. Tacitum*) attigisse, meritò conqueri possit.

Si Advocatus jubente judice Pauperis et viduae causam orare recusaverit Advocationibus ipsi interdici potest.

CAP.

## Cap. X.

## *Quod ſit officium Advocati erga proprium Clientem.*

NUnc diſpiciendum eſt, quæ ſint *Advocati* partes apud ſuum clientem. Suprà diximus, eſſe neceſſarium, merita cauſæ, in judicium deducendæ, diligenter examinare, juſtàne an injuſta ſit: Id autem nunquam melius percipiet *Advocatus*, quàm ſi clientem, de causâ ſuâ perorantem, patienter attenteque audiat, omneſque circumſtantias, cauſæ cohærentes, diligenter excutiat: ac clienti ſuo contraria quædam argumenta objiciat: Alioqui enim, niſi id fecerit, cauſæ merita difficulter reſciſcet. Solent enim homines, magno decepti errore, cauſæ ſuæ ſecreta celare, imo fictis coloribus ita eam ornare, ut, niſi *Advocati* diligenter attendant, rei veritatem exquirere & indagare nequeant. Quo fit, ut iis technis decepti, ſæpenumero causâ cadant. Quapropter, ſi ſibi ſuoque honori, clientiſque commodo conſultum proſpectùmque velint, operam dabunt, ut omnia cauſæ merita momentaque exactè perdiſcant, & excuſſis probationibus, quas adferre poſſunt, ſtatuant, quid faciendum ſit, vel omittendum. Id enim ſi omiſerint, fruſtrà laborabunt, & clientes in inutiles ſumptus conjicient; qui poſtmodum, amiſsâ causâ, de *Advocati* vel negligentiâ vel imperitiâ queſturi ſunt. Ut autem extrà omnem clientis calumniam ſeſe conſtituant *Advocati*, & con-

scientiæ suæ satisfaciant, si causam injustam, aut probationibus destitutam, deprehenderint, operam dabunt, ut ab eâ intentandâ consultorem dehortentur, positis ob oculos litis incommodis damnisque, Capite VI. relatis. Id enim facere tenentur, ac clientem suum ad justitiam erudire, ut tanquam stellæ in perpetuas fulgeant æternitates. *Daniel.* XII. *cap.* Quod si vero justam causam, legitimisque probationibus instructam, (utrumque siquidem requiritur, *l. eum qui ff. de probat.*) perceperint, alacriter eam defendendam suscipient. Antè omnia verò de mandato legitimo sibi prospicient, idque Actis inscribi curabunt: Alioqui enim contingere potest, ut mandati, à cliente transmissi, amissione, si bonæ fidei non fuerit, magnis molestiis, quinimo & damno *Advocati*, involvantur. Quod alicui, ex primariis hujus Curiæ *Advocatis*, viro docto & acuto, olim contigisse intelleximus; cui res erat cum homine versipelle & improbo, qui Curiæ sententiâ ad certam pecuniæ summam non modicam condemnatus, negabat, se *Advocato* mandatum dedisse. Qui, nisi Curiæ de mandato, oretenus dato, fidem fecisset ex aliquibus indiciis, solutionem adjudicatæ pecuniæ evadere nequivisset. Itaque, ne in istum scopulum impingat *Advocatus*, faciet, quob paulò ante dictum est. Nisi mandatum à Notario à Curiâ approbato, aut coram Juridicis seu Decurionibus confectum, vel si Prælatus, pastor aut nobilis sit, ipsius sigillo ac subscriptione confirmatum, clausulâ substituendi munitum, habeat: istiusmodi siquidem procuratoria (ut loquuntur practici) paribus passibus ambulant, eamdemque vim obti-

Advocato ante omnia incumbendum est ut sibi prospiciat de legitimo mandato:

Quid sit et quomodo confici debeat legitimum mandatum?

tinent, quam eâ, quæ Curiæ Actis inſcripta ſunt, ut ex Ordinatione Curiæ liquet, *Rub.* 10. *Lib.* 3. Et tantò quidem magis de mandato valido ſibi proſpicere debent *Advocati*, quòd inter interpretes magna ſit concertatio, utrum is, cujus nomine litigatum eſt, poſt latam ſententiam, ea, quæ ipſius nomine abſque mandato geſta ſunt, rata habere poſſit, quibuſdam id affirmantibus, aliis vero negantibus; ob id, quòd poſt latam ſententiam, peremptâ inſtantiâ, ratihabitioni locum eſse negent: inter quos eſt *Ferrarienſis* exquiſitiſſimus autor, *In formâ reſponſionis Rei, in gloſsâ ſuper verbis, Simonius Spelta.* Deinde curabit *Advocatus*, ut inſtructionem, à cliente ſuppeditatam, juxtà Curiæ Decretum, 20. Decembris anno 1541. promulgatum, & Enchiridio Statutorum inſertum, ſcriptis mandet, atque penes ſe conſervet, ut requiſitus, eam Curiæ oſtendere poſſit, ac clientem, quandò in causâ ſcribendum eſt, magnis ſumptibus evocare ſæpè non ſit neceſse: Id enim ſi fecerit, Curiæ ſuam conſcientiam comprobabit, quæ percipiet, nihil ab eo allegatum, articuliſque probatoriis comprehenſum eſse, quod inſtructio, à cliente data, non contineat, & clienti, poſtmodum amiſsâ lite conquerenti, facili negotio os obſtruere poterit. Hæc quia raro fiunt ab *Advocatis*, hinc in judicio voces illæ inexcuſabiles multorum audiuntur; *reſpondere nequeo, quia inſtructione careo*; in portu (quod dici ſolet) naufragium facientes. Qui tamen ignorare non poſsunt, paria eſse, ſcire vel ſcire debere.

CAP.

## CAP. XI.

## *Quomodò apud Judicem ſe gerere debeat Advocatus.*

SUperioribus aliquot capitibus explicatum eſt, quæ ſint partes *Advocati* ergà omnes in genere homines: deinde ergà proprium clientem: nunc quomodo apud judicem ſe gerere debeat, inquirendum eſt. Illud autem in primis obſervare debet *Advocatus*, ut judicem, tanquam DEI miniſtrum, omni honore ac reverentiâ afficiat, debitam obedientiam ei deferat, nihil contrà dignitatem illius acerbè, vel contumeliosè dicat, vel ſcribat. Id enim Ordinatione Saxonicâ, Enchiridio Statutorum, *Tit. de Advocatis, artic.* 17. inſertâ, expreſsè prohibetur. Deindè, juxta ejuſdem Curiæ Decretum, 15. Martii anno 1597. publicatum, & prædicto Enchiridio comprehenſum, *Advocatus* in judicio honeſtè decenterque ſe gerere, ac loco, & corporis habitû decoro componere tenetur, prout honeſtas exigit, non divagari in auditorio, nec clamoſis ſermocinationibus, imò fabulis, illud turbare debet: Subtrahere verò ſeſe abſque Commiſsarii licentiâ, quandò copiam ſui facere debet, quod à quibuſdam fieri vidimus, non ſolùm turpe eſt, ſed in contemptum & judicis, & adverſarii tendit, quos eludere velle videntur, qui id faciunt; quos in aliis Tribunalibus non impunè ferunt. Jam verò, ſi quid in judicio oretènus proponendum, aut

aut poſtulandum erit, clarâ voce, & conſueto loco, ac intrà ſubſellia *Advocatorum* conſiſtens *Advocatus*, id facere debet; ita quidem, ut à Curiæ Delegato (quem Commiſſarium vocant) *Advocatus* exaudiri queat, adhibitâ præmiſſâque verecundâ præfatiunculâ, exemplo Tertulli Oratoris, *D. Paulum* accuſantis, *Actor*. XXIV. & ipſius quoque *Pauli*, apud Regem *Agrippam* cauſam ſuam defendentis, *Act.* XXVI. & non illotis (quod dicitur) manibus in verba prorumpere, quæ omnia, conſtitutione Curiæ prædictâ, cauta atque præcepta ſunt. Debet itaque *Advocatus* omnem Curiæ reverentiam deferre, ut dictum eſt; ne ſecus faciens, & violati jurisjurandi notam ſibi contrahat, & indignationem Conſiliariorum incurrat, quinimo & coërcitionem arbitrariam excipiat. Cujus rei exemplum nos, cum *Mechliniæ*, *Advocati* munere in magno Senatu fungeremur, in primario ejuſdem *Parlamenti* *Advocato*, amico & familiari noſtro vidimus, nimis triſte: Is enim, quòd Præſidem ejuſdem Senatus, Dominum de *Waterdÿck*, Equitem auratum, è proſapiâ *Comitum Bergenſium*, à quo pridiè in auditorio, *Advocatis* ac Procuratoribus præſentibus, acerbè taxatus perſtrictuſque fuerat, ſupplici libello (quem nobis poſteà, re non integrâ, legendum dabat) prædicto Senatui magno, nimis calido conſilio, inſciis omnibus exhibito, contumelioſè traduxiſſet, poſt diutinam apud primum apparitorem detentionem, in Senatum prædictum adductus, omnibus *Advocatis* Procuratoribuſque ad ſpectaculum evocatis, cùm ad Procurators generalis interrogationem, flexis genibus, libellum ſupplicem, quem manu

tenebat, à se conscriptum exhibitumque declarasset, verbis, præeunte prædicto Procuratore generali, palinodiam deprecationemque solennem continentibus, prolatis, prædictum libellum supplicem suis manibus dilacerare jussus fuit; quod nobis omnibus inspectantibus quoque fecit; cui & unius anni spacio *Advocatione* etiam interdictum fuit. Proinde isto exemplo deterriti, refrenandum esse stylum, & intrà limites modestiæ manendum, consulimus, quoniam est

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum*;

Ut habet versus ille notissimus. Nos certè ante annos triginta, eam reverentiam Curiæ ejusque Delegatis exhiberi vidimus, ut nec inhonesti verbi prolatio impunita fuerit. Quidam enim apud Commissarium turpiloquio usus, relatione ad Curiam factâ, duodecim *Carolinos* aureos fisco inferre condemnatus fuit. Quam irreverentiam Ordinatio *Curiæ Hollandicæ* quoque strictè puniendam coërcendamque præcipit. *artic.* 72. Et, ut verum fateamur, in eo potissimum sita est reipub. salus & conservatio, si Magistratui judicibusque sua constet autoritas & reverentia; quam vel maximè tueri debent *Advocati*, juris legumque periti & justitiæ sacerdotes: qui in hoc incumbere debent, ut homines omnes reverentiâ judicum in officio contineantur. Ad hæc cavebit *Advocatus*, ne judicis animum fictis coloribus, falsisque allegationibus pervertat: id enim si fecerit, DEUM, qui ipsa justitia & veritas est, gravissimè offendet, & contrà viri boni, nedum Christiani, officium peccat & delinquit. Ex quo patet, quantoperè peccent ii, qui clientibus

exe-

Quid hic observandum est Advocatis?

execrandum consilium dant, ut judicis animum integritatemque donis muneribusque expugnent atque pervertant, ut victoriam consequantur, quorum quanta sit vis, in istâ impietate patrandâ, abundè sacræ literæ docent: *Excæcant enim munera oculos sapientum, & mutant verba justorum. Deuteron.* XVI. Nulla certè major iniquitas ab *Advocatis* perpetrari potest, quàm si scelestis istiusmodi consiliis, & clientum, & judicum animos corrumpant, ut sui voti injustissimi compotes fiant. Quam improbitatem leges civiles usque adeô detestantur, ut litigatorem, istius criminis convictum, amissione totius causæ mulctandum decernant: *l. utputa. §. sed & si dedi. ff. de condict. ob turpem causam. Advocatum* certè, præter infamiæ notam, æternus manet interitus: Facit enim impio isto consilio, ut cliens, injustam causam obtinens, parti adversæ quod suum est, sub velamine Justitiæ auferat. Quo casu in conscientiâ consulere tenetur clienti victori, ut adversario restituat, quod injustâ sententiâ ademit: quinimo & ipse ad salarii, quod pro patrocinio turpissimo solutum est, restitutionem tenetur, cùm sit lucrum longè iniquissimum, teste Domino AUGUSTINO, *Epistola* XXXVIII. *Mona. Titul. de Advocatis.* Deinde cavebit *Advocatus*, ne judicem falsis allegationibus vel abrogatis legibus, in suam trahat sententiam: quod qui faciunt, & conscientiam perjurio vulnerant, & honori pessimè consulunt, Justitiam & judicem supplantantes, & proximo, quod suum est, injustâ sententiâ auferentes. Qui certè gravissimè contra legem charitatis, nobis tantoperè à CHRISTO Servatore commendatam, peccant,

& in præceptum Decalogi, *non furaberis*, impingunt. Licet enim manibus rem alienam non contrectent invito domino, faciunt tamen, ut proximo quod ſuum eſt auferatur, ſub juris etiam juſtitiæque velamine; quæ utique deterrima furti ſpecies eſt. Iſti autem certò ſibi perſuaſum habere debent, non defuturam ultionem divinam, quæ tanquam *Nemeſis* & *Adraſtia*, implacabiliter ſcelera vindicat, infenſa impiorum facinoribus, eiſque inſuper, qui his patrocinantur; quod *Philo* Judæus juſtitiæ tribuit, *in Tractatu de confuſione linguarum*, peculiare ac proprium.

## CAP. XII.

## *Quomodo clientis ſui adverſarium tractare debeat Advocatus.*

SUperioribus capitibus demonſtratum eſt, quod ſit *Advocati* officium erga proprium clientem, item erga judicem cauſæ; nunc videndum, quomodò clientis ſui adverſarium tractare debeat. Illud itaque ſemper *Advocato* conſiderandum & cogitandum eſt, ſe juſtitiæ ſacroſanctæ miniſtrum eſſe, imò & ſacerdotem: nec lege divinâ, etiam humanâ ceſſante, licere ſibi quemquam vel verbis, vel ſcriptis lædere atque traducere. Si enim ſecus fecerit, non cenſebitur rectè inter homines agere, ſed contrà legem charitatis peccare; quâ vetamur alteri facere, quod nobis factum nolumus. Cavebit ergo *Advocatus*, ne in adverſarium

rium clientis sui sit injurius, illum in processu conviciis lacerando, quod ab aliquibus sine discrimine fieri videmus. Nihil enim turpius fingi potest in *Advocato*, qui legum scientiam profitetur, quam si eò insolentiæ progrediatur, ut adversarium clientis contumeliosè perstringat. Quam conviciandi libidinem usque adeò à foro judiciisque remotam esse debere asseverat *Plato*, ut XI. dialogo de legibus, lege latâ fugandam prohibendamque contendat his verbis: *Multis autem modis homines furore aguntur; alii morbo, ut hi, de quibus modo diximus: alii per iracundiam pravæ naturæ vitiosamque educationem, qui parvis inimicitiis moti, altius inclamant & turpiter inter se conviciantur. Nihil verò tale in civitate bonis legibus institutâ fieri decet. De convicio igitur hæc una omnibus lex ponatur: Nemo alicui convicietur. Sed quicumque cum alio de re quapiam ambigit, discat omni conviciô prorsus abstinere. Cùm enim sibi invicem verbis turpibus maledicunt, muliebres habentur, & in primis ex verbis, quæ certè levissima res est, odia gravissima & inimicitiæ sæpè nascuntur.* Rationem certè gravissimam subjicit *Plato*, quare à conviciis projiciendis in proximum sit abstinendum: *Nam & inimicitiæ maximæ sæpè nascuntur*, inquit, *quæ non rarò in cædes ac homicidia exeunt. Turpe certè esse, conviciis se invicem proscindere, maximè in judicio, nemo diffitebitur; cúm plerunque & ridiculi fiant conviciatores, ridicula per iram, & commotionem, ut plurimum in adversarium proferentes*, ut idem *Plato* prædicto loco subjicit. Quod si verò causæ, quam tractat, qualitas talis sit, ut necessitate ad illius defensionem, personæ, cum

 quâ

Duo casus quibus Advocato permissum clientis sui adversarium perstringere: 1°

quâ cliens litem habet, turpitudinem allegare cogatur: utpote si frater aut soror ab hæreditate fratris sororisve, turpi personâ institutâ, exclusus fuerit, quam nisi allegatâ hæredis instituti turpitudine, obtinere nequit, nihil præter boni viri officium fecisse censebitur, si eam objecerit, cùm jure legibusque permittentibus id faciat, *l. fratres. C. de inoffic. testamento* ac ob id justè. Quod & tum locum habet, si objectâ clienti justâ exhæredationis causâ, ad excludendum eum ab inofficiosi querelâ, de inhabilitate objicientis exceperit, quod videlicet in pari turpitudinis causâ, potior sit hæredis instituti, quam ejus, qui per inofficiosi querelam hæreditatem petit. Nam & alias, si hæres institutus indignus esse hæreditate dicatur, aut ex causâ ingratitudinis, legibus expressâ, exhæredatus, non dubium est, quin causarum istarum allegatio *Advocato* permissa sit: neque enim ex libidine conviciandi, sed necessitate officii, talis fit objectio & allegatio, *arg. l. mater. 2. C. de calumniat.* Quòd si iste casus inciderit, providebit *Advocatus*, ut sufficienti mandato munitus, ea scriptis complectatur, aut subscriptione clientis omnem à se invidiam divertat & amoliatur. Illud certè *Advocati* Christiani fuerit, cum modestiâ in istis allegationibus odiosissimis versari; ne ullam adversario clientis, vel judici occasionem præbeat suspicandi, quod libenter & cum voluptate, istos proximi defectus vitiaque detexerit & revelaverit: Quin potius in istis chyrurgorum mores consuetudinemque imitabitur, qui non, nisi summâ necessitate compulsi, ad extrema ista remedia, sectiones, ustionesque procedunt, nec sine commiseratione quidem.

2°

Quod

Quod ſi eâ conſcientiâ, in iſtiuſmodi cauſis litibuſque verſatus, odium inimicitiaſque ſibi conflaverit cauſarum patronus, ut ſolet plerumque fieri, hominibus laicis rerumque imperitis, lapidem projectum, more canum, non projicientem mordentibus, non debet commoveri nec indignari; ſed humanæ fragilitati adſcribere, & cogitare, ita naturâ comparatum eſſe, *ut obſequium amicos, veritas odium pariat*; teſte Comico. Interim tamen nemo diffitebitur, per moleſtam eſſe *Advocatorum* provinciam, qui plerumque in partis adverſæ, totiuſque cognationis familiæque odium incurrunt, ac offenſas maximas ſubeunt, quas nos non rarò experti ſumus. Sed quid facias? ferenda ſunt iſta; ac cogitandum, quod cum perfectis non vivitur; nec perfectionem in hâc vitâ, hominibus naturâ ad peſſima propenſis, ſperari poſſe: eaque omnia æquo animo ferenda eſſe, Deoque committenda; qui novit, quid nobis maximè expediat. *Advocatus* certè firmiter credere debet, non defutura ſibi præmia, quæ (CHRISTO teſte) manent eos, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: Certè eam requirit in *Advocato* hæc profeſſio animi fortitudinem, ut nec metu, nec minis, nec prece, nec precio, juſtæ cauſæ defenſionem detrectet, vel injuſtæ patrocinium ſuſcipiat; *Papiniani*, illius juris coryphæi, hominis ethnici, exemplum ſecutus, qui interfici, quam impii Principis *Caracallæ* parricidium excuſare, maluit; dicens, facilius id patrari, quam defendi poſſe. Sed quia rarò in iſtas anguſtias *Advocati* rediguntur, quibus tales cauſæ non offeruntur, illud ſaltem præſtare debent, ne in litibus exercendis, ab eo, quod re-

ctum

ctum eſt, deflectant, vel ſpe vel metu; iſtius verſus memores:

*Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.*

---

## Cap. XIII.

## *Quomodo partis adverſæ Advocatum tractabit.*

MUltis videbimur fruſtrà hunc laborem ſumere, deſcripturi *Advocatorum* officium erga ſe invicem: ſtatim enim objiciet aliquis, anne nobis tacentibus id intelligant? Fatemur equidem *Advocatos*, qui legum peritiam profitentur, omniaque humanitatis ſtudia ab incunabulis (quod dici ſolet) imbiberunt, ignorare non debere, quæ ſuæ ſint partes ergà eos, quos capitibus præcedentibus commemoravimus; ſed vel maximè erga ſe invicem. Sed quia *Advocatis*, ut hominibus naturâ fragilibus, dum in hac lachrymarum valle peregrinantur, adeſt infirmitas iſta, quam *D. Paulus* ſe ſentire conquerebatur; *ut bonum, quod vellet, omitteret: & malum, quod nollet, faceret:* operæ pretium nos facturos arbitramur, ſi eam quoque partem paucis perſtrinxerimus, Ita enim fiet, ut noſtrarum præceptionum memores, operam demus, ne unquam præter officium aliquid committamus; audituri alioqui:

*Turpe eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum.*

Et conſequemur, ut filius noſter, paternis præceptis monitiſque inſtructus, advocationem abſque reprehen-

ſione ſit executurus. Illud erit itaque *Advocati* ergà *Advocatum* partis adverſæ munus, ut debitam illi reverentiam & honorem, tanquam ſymmyſtæ, tam in Curiâ atque auditorio, quàm in publico, & ubique locorum deferat, ab omni contumeliâ conviciiſque prorſus abſtineat; alioqui in conſtitutionem Imper. *l. Quiſquis C. de poſtulando* & ordinationem Curiæ, ultimâ novembris 1602. promulgatam, ejuſque pœnam incurſurus. Neque enim patitur iſtarum legum diſpoſitio, *Advocatum* eò inſolentiæ progredi, ut non erubeſcat ſymmyſtam, ejuſdemque profeſſionis virum, conviciis lacerare, & planè caninam facundiam exercere. Et ſanè animi impotentis eſt ſignum, affectibus uſque adeò abripi, ut publicæ honeſtatis publicarumque legum nullâ habitâ ratione, quis non vereatur, fratrem in profeſſione contumelioſè excipere, jus clientis ſui defendentem. Quod quia vulgus hominum fieri ſæpe videt, hinc fit, quod ſimulatas iſtas contentiones rixaſque advocatorum exiſtimet, & ſummâ in Curiâ natas, vino poſtmodum dilui ac mergi aſſerat: Quod dicterium non aliâ viâ ac modo effugient *Advocati*, quàm ſi ab omni acriori contentione abſtinentes, de jure partium modeſtè, graviterque & amicè, remotâ omni acerbitate verborumque amarulentiâ, inter ſe conferant. Ita ſiquidem futurum eſt, ut à contemptu populi, vulgique, literatis omnibus infeſtiſſimi, ſe vindicent, ac profeſſioni ſuæ, multis laboribus, ſumptibus, periculiſque comparatæ, teſte *Frederico* Imperatore *Auth. habita C. Ne filius pro patre* debitum honorem aſſerant. Quos artium liberalium ſcientia, divini humanique juris

peritia, atque professio, meritò intra cancellos modestiæ continere debet; nedum divinæ vindictæ metus, divinique judicii extremi terror; in quo & de otiosis, nedum amarulentis verbis conviciisque, reddenda erit ratio. Tametsi & Curiæ censuram non effugiant *Advocati*, legis prædictæ violatores, pecuniariam mulctam irrogantis. Quod olim celeberrimis *Advocatis* contigisse, antiqua docet sententia, 15. *Februarii* 1547. pronunciata. Quàm autem sit turpe in judiciis conviciis certare, & qui sequantur effectus mali ac perniciosi, ex *Platone*, capite præcedenti citato, liquidò patet.

*Observatio.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

---

## CAP. XIV.

### *Quomodo in exercendis Ordinis Iudiciarii partibus versari debeat Advocatus, & primum in citatione impetrandâ et exequendâ.*

ANtè capite decimo relatum est, quod sit *Advocati* officium ergà proprium clientem, atque ibidem tradidimus, cautè prudenterque facturum, si instructionem causæ à cliente datam, scriptis complectatur, atque penes se reservet, juxtà Curiæ Ordinationem ibi allegatam: Et rationes, quare id facere debeat, adjecimus. Nunc tractationis series postulat, ut explicemus, quæ sint *Advocato* Actoris observanda, causam

ſam clientis ſui in Judicium deducturo. Ordo autem poſtulat, ut ſupplici libellô Curiæ porrecto, & clientis proprii, & adverſarii nomen domiciliumque continente, nec non qualitatem exprimente, citationem ſibi concedi petat. Quam ut impetret, ante omnia diſpiciendum erit, utrum cliens ipſe Actor, perſonam ſtandi in iudicio habeat. Nam ſi ex aliquo defectu, quod vel mulier, *l. alienam. C. de procurat.* vel miles ſit, *l qui ſtipendia C. eod. tit.* alieno nomine experturus, repelli poſſit, fruſtrà citationem petit. Conſimiliter quoque ſi filiusfamilias, vel ſervus ſit, qui, niſi certis caſibus, judicio intereſſe non poſſunt *l. cum oportet §. exceptis. C de bonis quæ liberis. l. ſiquis à liberis. ff De lib. agnoſc. l. vix certis. ff. de judiciis.* Quod ſi verò filius patrem, vel avum, vel Proavum, vel remotiorem in aſcendenti gradu utriuſque ſexus parentem, etiam naturalem tantum, in jus vocare volet, quod certis caſibus poteſt, cavere debet *Advocatus*, ne ſine impetratâ veniâ id faciat, alioqui mulctam pecuniariam quinquaginta aureorum ſoluturus. *l. pen. ff. de in jus. voc.* Deinde, eo ſcrupulo liberatus, perpendere debet *Advocatus*, an lite pulſandus, primâ inſtantiâ ad ſupremam Curiam vocari poſſit, quando nimirum ſponte ſe Curiæ non ſubjecit in inſtrumento. Quod ſi de eâ non conſtet, aut certum ſit, privilegio fori renunciatum non eſſe, proxima cura erit diſpicere, num ex aliquo Actoris privilegio, ad Curiam primâ inſtantiâ vocari poſſit; utputa ſi vidua ſit, vel pupillus, vel morbo, vel ſenio, vel paupertate, vel conſimili aliquo reſpectu, miſeratione dignus. Eo ſiquidem caſu reus compare-

re tenebitur, etiamſi inferiori judici ſubjectus ſit, veluti ruſticus, vel civis. Sed cùm Imperator in Rubrica *Tit. Quando imper. inter pupillos, vel viduas, vel alias miſerabiles perſon. cognoſc. & ne exhibeantur.* adjiciat, (*vel alias miſerabiles perſonas*) quæri ſolet, quænam iſtæ ſint aliæ perſonæ miſeratione dignæ? *Bart. poſt Petrum & Cynum, ad L. unicam. C. dicto Tit.* cenſet, iſtam rem judicis arbitrio relinquendam eſſe. De eo aliquando quæſitum meminimus, an virgo, ſui juris ac locuples, iſto privilegio gaudere debeat? neque enim juxtà propriam vocabuli ſignificationem, vidua dici poteſt, cum in viduitate non fuerit: Dicitur quippe vidua, quòd ſit ſine duitate, quaſi vedua: ve ſiquidem particula privat. *l. malum navis, verſ. viduam. ff de verb. ſignificat.* Attamen caſu in judicio ventilato, & virgini, etiam diviti, privilegium iſtud competere nos aſſerentes, ac in contradictorio ſuſtinentes, exceptione partis adverſæ rejectâ, ſententia Curiæ ſecundum nos lata fuit, autoritatibus veterum juriſperitorum & *d. verſic. viduam.* ſubnixos. Quemadmodum non ita pridem in quæſtionem vocatum fuit; an prædictæ *Rubricæ* privilegio puberes gaudeant? Et factâ interlocutione ultimo Maji, anno 1603. fori exceptio propoſita rejecta fuit. Quod & in perſonâ viduæ, ad Curiam vocatæ, & exceptionem declinatoriam proponentis, deciſum fuit: atque adeò confirmatum illud juris axioma; Quod privilegiatus contra privilegiatum jure ſuo non utatur: nam exceptione rejectâ, comparere coacta fuit. Denique miſerabiles perſonæ reputantur omnes, quibus movetur natura ad commiſerationem propter caſus huma-

*Obſervatio.*

*Obſervatio.*

*Obſervatio.*

humani aut fortunæ injuriam, etiamſi divites ſint; juxta ea, quæ tradunt *Azo*, *in Summa C. Quando Imper. inter*. Innocentius *c. ex parte. x*; *de foro compet. c. per veſtras de Donat inter virum & uxorem*. *Albericus*, *Andreas de Iſernia*, *& Math. de Afflictis in conſtit. Neapolit*. Quorum omnium tamen, in pauperibus ea eſt limitatio & reſtrictio, ut de iis tantùm pauperibus accipiendum tradant, qui adverſis fortunæ caſibus, non propriâ culpâ ac luxu, ad paupertatem redacti ſunt; Quod & in viduâ receptum eſt, & eâ quæ in cœlibatu vivit. Nam ſi inhoneſtam vitam ducunt, & eo, & aliis omnibus privilegiis, reſpectu viduitatis cœlibatuſque competentibus, indignæ reputantur. *Lucas de penna*, *& Felyn. in c. ſignificantibus. De officio delegat*. Illud ſuperioribus addendum arbitramur, quòd *Didacus Covaruvias*, Hiſpanus celeberr. Juriſconſ. in practicis quæſtonibus *cap. 6. & 7.* diſputando reſolvit; inter miſerabiles nimirum perſonas viduaſque, non tantùm cônnumerandas eas, quæ maritum non habent, morte naturali rebus humanis exemptum, & veræ viduæ ſunt, verum etiam eas hoc privilegio gaudere, quæ maritos quidem habent ſuperſtites, ſed inutiles; *l. fina. ubi Accurſ. C. Ad. l. Fabiam. de plagiariis*, veluti qui in exilium acti, aut ab hoſtibus capti, vel ad triremes damnati ſunt. Tametſi enim veræ viduæ dici nequeant, cùm mariti in rebus humanis eſſe non deſierint, nihilominus tamen, quia omni ſubſidio auxilioque maritorum carent, & inſuper in mœrore vitam ducunt, meritò prædicto privilegio potiuntur. Neque verò ſolùm citationem invalidam & illegitimam

facit privilegii prædicti, in Actoris personâ, defectus, concedentis reum extra territorium suum ad Curiam evocari, sed & tum quoque effectum perdit citatio, si non sit libellata, *Imola in l. inter accusatorem. De pub. Iud. Clar. q. 91. v. nunc quæro* (ut loquuntur practici) id est, si causam insertam non habet, ob quam reus vocatur ad judicium. Consimiliter quoque & tunc viribus caret citatio, quando in formâ peccat, ac illegitima est; quæ in eo, qui citatus est, excludit contumaciæ crimen, *l. filius, ff. de interrogat. act. l 2. ff. si quis in jus voc.* Istis siquidem casibus comparere reus non tenetur. *Innoc. c. præterea. de Dilat. c. licet, de offic. deleg. c. finali de Dolo & contumacia.* Quemadmodum nec tunc, quando terminus, Ordinatione præfixus, servatus non est; nempe si pars adversa vocatam se conqueratur breviori spacio, quàm octiduo ante diem juridicum. Nonnunquam etiam corruit in jus vocatio, ratione temporis incongrui; ut quia tempus est feriarum in honorem Dei, sive solennes, sive repentinæ illæ sint, quarum imperator meminit. *in l. omnes dies C. de feriis.* Itidem & ratione loci, si in aliquem inhonestum locum adesse jusserit judex, vel arbiter; impunè enim ei non parebitur. *l si cum dies §. si arbiter. ff de Arbitris.* Ut nec tunc, cùm locus, ad quem vocatur, præsentiam venienti periculosam facit. *l. 2. ff. si quis cautionibus.* Similiter hæredes, parentes, liberi, conjunx, agnati, cognati, affines, aut fidejussores defuncti, ante nonum diem conveniri, aut quocunque modo inquietari, aut aliquâ admonitione pulsari, aut in judicium vocari non possunt, sive debiti gratiâ, quod à defuncto descen-

descendit, sive alterius cujuscunque causæ nomine, ad memoratas personas specialiter pertinentis. §. *hæc autem. versic. sancimus. in Auth. ut cum, De appellat. cognosc. Collat.* 7. Istis siquidem casibus, vocatus si absit, de contumaciâ accusari nequit, nec pœnam contumaciæ patitur, quem majoris causæ occupatio defendit. *l. contumacia. versic. pœnam. ff. De re judicatâ.* Itaque, cum citatio sit fundamentum & principium judicii, *Spec. tit. de Citatione, Bart. in l.* 1. *ff. de in jus voc. & in l. probatam. C. de sent. & interloc.* circumspecti *Advocati* est prospicere, ne quid omittat, quod pro formâ circà eam requiritur. Denique illud quoque providebit, ut citatum, si per se, vel alium, legitimo mandato munitum, non compareat, de contumaciâ accuset; non contentus, si quisquam *Advocatorum* dicat se paratum esse, causam vocati nomine continuare, ac certiorem illum facere, ut compareat, vel mandatum legitimum transmittat. Tales siquidem continuationes nullius momenti sunt: ac, si admittantur, impediunt sæpè, ne adversus reum, secundâ vice vocatum & absentem, & de secundâ contumaciâ accusatum, per provisionem (Intendit vulgo dictam) sententiam obtineat, propter primæ citationis vitium atque defectum. Quod multoties accidisse *Advocatis* vidimus, tertiam citationem impetrare & exequi coactis, non sine maximis clientis sumptibus. Proinde cauti *Advocati* erit, operam dare, ne Citatio ex aliquo defectu, vel temporis, locorum vel personarum, vel vitiosæ executionis, (quam Galli **Exploict** appellant) corruat. Ea siquidem si reddatur invalida ac nulla, omnia quæ postmodum su-

*Observatio.*

Quid sit Intendit?

Citatione nullâ ac invalidâ, omnia quæ postmodum in judicium deducuntur, fiunt illegitima et nullius momenti?

per-

perstruuntur, atque inde dependent, sunt nulla; *gloss. in l. accusatoribus*, *C. de Accusat. quam sequitur Bald. in c. si clericus.* 1. *col. de pace ten. in l. cum fratrem. C. de his quib. ut indignis. & cons.* 173. *libr.* 3. *Hipp. de Mars. cons.* 64. *Cantiuncula cons.* 72. *num.* 71. & citatus comparere non tenetur: & si comparuerit, potest sine licentiâ recedere quandocunque impunè, juxtà ea quæ tradunt DD. *Andr. Barb. in c. consuluit. De offic. deleg. Hipp. de Mars. cons.* 38. *vol.* 1.

---

## Cap. XV.

## *Quæ sint partes Advocati in defendendo Reo.*

SUperiori capite disseruimus, quæ sint *Advocato* perpendenda, citationem clientis sui nomine petenti, ne in inutiles sumptus eum conjiciat. Nunc quomodo Reo legitimè citato & comparenti, consulere ac subvenire debeat, excutiendum venit. Et antè omnia utique examinabit, an cliens defensiones exceptionesque legitimas habeat, easque probare possit: Reus siquidem excipiendo fit actor, & non minus ad probationes tenetur, quàm actor. *l. in exceptionibus, ff. de probation.* Deinde inquiret, utrum Actoris *Advocatus* vestem nuptialem habeat, id est, legitimo mandato, & nomen constituentis, constituti & judicis, & adversarii, & causam & clausulam substitutionis & ratihabitionis continente *l. si procuratorem. ff. de Procuratoribus. cap. mandato. eod. tit.* munitus, in judicio compareat, causam acturus. Nam si eo desti-

ſtituatur, aut requiſitus mandatum exhibeat, juxtà Ordinationem (20. Decembris 1541. promulgatam, & ultimâ Novembris 1602. renovatam) non confe-ctum, à limine judicii repellendus erit. Alioqui enim, ſi de defectu mandati validi non exceperit, & abſque tali mandato, alieno nomine litigantem admiſerit, reddetur proceſſus retrò nullus: quinimò & ſententia deſuper lata erit nulla. Idem & in *Advocato* Rei eſt obſervandum, ne judicium reddatur illuſorium. Quod ſi de mandato utriuſque legitimo appareat, Reus conventus reliquas exceptiones, ſibi contrà libellum Actoris competentes, ſimul*& ſemel (juxtà Curiæ conſtitutionem 27. Octobris, Anno 1554. publicatam, & ult. Novembris 1602. renovatam) proponere debet. Illud autem proſpiciet *Advocatus* Rei, ne hominem peregrinum, immobilia non poſſidentem, vel alium quemcunque, non præſtitâ pro litis expenſis cautione, admittat, ſed oppoſitâ ante litis conteſtationem exceptione, eum repellat, poſtmodum fruſtrà oppoſiturus. Deinde, ut exceptiones tam declinatorias; quàm recuſatorias ac dilatorias, ante litem conteſtatam objiciat, poſteà fruſtrà priores duas oppoſiturus. Dilatorias autem, ſi poſt litem conteſtatam oppoſuerit, in mulctam libræ auri ex conſtitutione Imperatoris incurret, *l. ſi quis Advocatus. C. de Except.* niſi inopinatò ſupervenerint ex diſpoſitione juris, *l. 2. C. de conſort. ejuſdem litis c. inſinuante. De offic. delegati.* Peremptorias verò, intentionem perſequentis ſemper perimentes ac obſtantes, poſt litem conteſtatam oppoſiturus. *l. pen. & fina. C. de Except. l. peremptorias. C. Sent. reſc. non poße.* Quod ſi anoma-

Exceptiones Dilatoria ante litem contestatam opponenda simul et semel *

Exceptiones Peremptoria post litem contestatam opponi possunt:

Quaenam appellentur exceptiones mixtae, et quando in judicio opponendae?

læ ſint, quæ & mixtæ dicuntur, tam antè, quàm poſt litis conteſtationem, opponi poterunt; quales ſunt, Excommunicationis Eccleſiaſticæ vel imperialis, falſi procuratoris, inepti libelli, & quæcunque oſtendunt, judicium nullius eſſe momenti. *l. licet. C. de Except.* Ut autem ordo in iis omnibus ſervetur, ab exceptione declinatoriâ (niſi per contumaciam Reus, ab eâ proponendâ, excluſus ſit, quòd Curiæ ſtylo receptum eſt) initium facere, deinde ad recuſationem judicis progredi debet. Inter quas ea eſt differentia, quod, priori propoſitâ, judex cognoſcit, an ſua ſit juriſdictio; quoniam non eſt privata ſed publica res, cujus inſpectio ſeparata eſt à perſonâ judicis *l. 2. §. ſed ſi dubitetur. ff. De judiciis. l. ſi quis ex alienâ. ibidem.* poſteriori verò, arbitri cognoſcunt de ſuſpicione, aut ſi plures ſint judices, collegæ ipſius, non autem arbitri. Quod ſi verò judex, contemptis exceptionibus incompetentiæ, procedat in cauſâ, ſtatim appellabit *Advocatus*: quòd ſi omiſerit, judicem tacitè & re ipsâ exceptiones rejicientem, approbare cenſebitur. *c. ex parte. De Appellat. c. ſi à judice. eod. tit. lib. 6.* Totam autem Exceptionum materiam hoc loco tractare, non eſt noſtri inſtituti, cùm ea à viris doctiſſimis ſummiſque Practicis, *Speculatore*, *Oldendorpio*, *Vindelino*, *Schelling*, *Schenck*, aliiſque latiſſimè ſit pertractata, è quibus plenâ (quod dici ſolet) manu petere licet, ſed tantum digito quaſi demonſtare, quod ſit ſolertis *Advocati* officium in Reo defendendo, cujus vel maximè intereſt, coram incompetenti aut ſuſpecto judice non litigare. *l. apertiſſimi, C. de judiciis.*

CAP. XVI.

## Cap. XVI.

## *De Recusatione seu Rejectione Iudicis.*

SI cum perfectis viveretur, & omnes judices tales essent, quales *Iethro* à *Mose* volebat eligi, nimirum, *Viri potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderunt avaritiam*, similes illi justo, quem *Flaccus* Poëta describit, quem

*Nec ardor civium prava jubentium,*
*Nec vultus instantis Tyranni,*
*Mente quatit solidâ.*
*Et si fractus illabatur orbis*
*Impavidum ferient ruinæ.*

Si tales (inquam) essent judices omnes, hæc Exceptio, in judiciis, litibusque exercendis locum non haberet: omnibus sibi persuasum habituris, nihil eos facturos, quod legibus, æquitatique repugnat, nullâ spe, nullo metu, nullo odio, vel amore, ne latum quidem unguem (ut habet adagium) recessuros ab eo, quod judicem integrum, incorruptumque deceat. Sed cum homines sint, corruptelæ ac peccato ex lapsu primi parentis obnoxii, & concupiscentiâ ad malum sollicitante depravati, inordinatâ aliquâ affectione transversim rapti, nonnunquam ab eo quod rectum est, legibusque consentaneum, delabuntur atque deflectunt: Hinc factum, ut legislatores litigatoribus, ex causâ legibus probatâ, judices etiam ordinarios, tanquam suspectos rejicere ac recusare permiserint.

*c. licet ex suscepto. De foro compet. c. cum speciali De Appellation. cap. suspicione. De offic. deleg.* Verum enimverò, cum ista recusatio plerunque ingrata sit judicibus, neque ex quâlibet causâ permissa, *Advocatus* providus causas suspicionis à cliente suppeditatas, diligenter examinabit, & si illegitimas perceperit, clientem suum ab iis proponendis dehortabitur, ne si eas rejici contingat, parum propitium posteà judicem experiatur. Quod si verò justas, legitimasque, quales oportet esse juxta interpretes, *Ang. & Alex. allegantes alias decisiones in l. quia poterat, ff. Ad Senatusconsul. Trebellian.* deprehenderit, forti animo, nullâ odii, quod sibi conflaturus est, ratione habita, eas proponere, Curiæque supplici libello porrecto (in scriptis siquidem, non vivâ voce exprimendæ sunt, juxtà ea quæ tradunt DD. *Iac. Butrig. Ang. Salyc. Fulgos. in l. cum specialis. C. de judiciis.*) specificè declarare debet, *Alex. cons.* 154. *lib.* 5. *Dec. cons.* 20. ac petere, ne in perrogandis Consiliariorum sententiis, istorum qui recusati sunt, habeatur ratio. Illud autem in confesso est, eam antè litem contestatam esse proponendam: nam lite contestatâ non admittitur, nisi causas suspicionis postmodum obortas esse, ac ad suam notitiam * lite jam contestatâ pervenisse, litigator jurejurando affirmare paratus sit. *l. non distinguemus. §. cum quidam arbiter. ff. De Arbitris. l. Iulianus ait. ff. De judiciis, c. insinuante, De offic. deleg. DD. in l. apertissimi C. de judiciis. Bart. in l. quidam consulebant. ff. De re judicata. Cantiuncula, cons.* x. *num.* 10. Quo casu & post conclusionem in causâ proponi posse, stylo hujus Curiæ receptum esse *Ad-*

voca-

Exceptio recusatoria judicis per formam supplicis libelli Curiæ in scriptis porrigenda, et quidem ante litem contestatam, nisi etc. *

*vocati* non ignorant. Quo ordine verò proponenda ſit, ſuperiori capite quoque declaratum eſt. Ne autem temeritatis incuſari poſſit, qui judicem recuſare prætendit ut ſuſpectum, *Advocato* illius perpendendum eſt, an id facere expediat, ne clientem in aliquod diſpendium incidere contingat: præſertim ſi tales ſint ſuſpicionis cauſæ, quæ judicis exiſtimationem aliquâ labe aſpergant, ut puta ſi eum adverſario nimis familiarem faventemque eſſe, ſi pecuniâ corruptum, ſi animi ſui motum diſputando aliis præſentibus, detexiſſe impingat: Siquidem ſi poſteà in probatione deficeret iſte proponens, graviſſimæ injuriarum actioni ſemet involveret, & judicem ex injuſtâ causâ, aut non probatâ recuſatum, ſemper inimicum experturus eſſet. Proinde advigilare debet *Advocatus*, ut excuſſis probationibus clientis, ſi quas habet, expendat, quid facto ſit opus. Ante omnia autem ſi quid iſtiuſmodi proponendum arbitretur, ut de ſpeciali mandato ſibi proſpiciat, curare debet *Advocatus*, aut libellum ſuſpiciones complectentem, Curiæ porrigendum, clientis manu ſignatum exhibere debet, ne ſiniſtrâ eum opinione gravari contingat. Jam verò cùm variæ ſuſpicionum cauſæ jure proditæ ſint, operæ precium nos facturos arbitramur, ſi eas hoc capite obiter complexi fuerimus: Et primùm quidem nemo ignorat, qui praxin forenſem vel à limine ſalutavit, judicem tam ordinarium, quàm delegatum recuſari poſſe, ſi alterutri litigatorum vel conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo conjunctus ſit *c. inſinuante. De offic. delegati.* Quod ipſum tamen non ſimpliciter procedit. Nam ſi remoto gradu, veluti ul-

Causa in jure et praxi recepta, ob quas judex recusari potest.

trà tertium, alterutrum ex litigantibus attingit, certum eſt, eam cauſam ad recuſandum judicem ut ſuſpectum non ſufficere; præſertim in Friſiâ patriâ noſtrâ, in quâ ad tertium gradum excluſivè, conſanguinei, affineſque (iſtorum ſiquidem par eſt conditio) judices eſſe non prohibentur. Sed cùm diverſarum nationum non eadem in hoc articulo ſit conſuetudo, non cenſemus opus eſſe, huic rei diutius immorari. Ad alias verò ſuſpicionum cauſas quod attinet, dici poſſe videtur, eaſdem fermè cauſas, quæ in reprobandis teſtibus allegari ac proponi ſolent, in recuſando judice quoque locum habere. Quemadmodum enim teſtem à dicendo teſtimonio repellit, ſi parens *l. teſtis idoneus, ff. De teſtib. l. parentes C. eod. tit.* ſi filius, *l. lege Cornelia. ff. De injuriis.* ſi frater, *l. pen. ff. eod. tit.* ſi maritus, *l. 2. C. eod. tit.* ſi domeſticus, *l. 3. in princ. ff. eod. tit.* ſi commenſalis, ſi inimicus, *c. accedes. ut lite non conteſtata.* ſi dominus, ſi vaſallus, ſi inimici mei familiaris & amicus, ſi ſocius, ſi *Advocatus*, ſi procurator ſit, Ita quoque prædictæ cauſæ judicem ſuſpectum reddunt: Quibus & aliæ adnumerantur à Speculatore, aliiſque Practicis, veluti ſi directè, aut indirectè, emolumentum litis aut aliqua portio, ad judicem ſpectet: Item ſi ſimilem aliquam litem habeat jam motam, vel veriſimiliter movendam: Verendum enim foret, ne cum alterius detrimento ſuæ cauſæ præjudicium aliquod conſtituere vellet. Item ſi litem cum alterutro litigatorum foveat, *l. propter litem. ff. De Excuſat. tut. Auth. ſi curatoris. C. qui dare tut. Cur.* vel habuerit jam finitam. Prætereà & is ut ſuſpectus reputabitur

ac

ac recuſabitur, quem alteruter ex litigatoribus (utriuſque ſiquidem conſenſus requiritur) ſibi dare judicem petierit, quod mali exempli eſſe, & ad verecundiam quoque judicis pertinere reſpondit *Calliſtratus in l. obſervandum. ff. De judiciis.* Conſimiliter & is ut ſuſpectus recuſabitur, qui ſemet ingeſſiſſe, & ut Judex daretur, procuraſſe probabitur. *l. quæ omnia ff. de Procuratoribus.* Iſtis ſiquidem cauſis ſpecialiter expreſſis atque probatis (quod omninò requiritur, cum ſola allegatio non ſufficiat, *c. ſuſpicionis. De offic. delegati c. cum ſpecialis. De Appellat.*) meritò, legibuſque permittentibus, tanquam ſuſpectus à dicendâ ſententiâ repelli poterit, ſive Ordinarius ſive Delegatus judex fuerit. Quod uſque adeò procedit, ut dicatur, Imperatori nihil magis cordi eſſe, quam ut ſine ſuſpicione, omnes lites peragantur, & tractentur, *l. apertiſſimi C. de judiciis*, Uſque adeò quidem, ut etiam ab imperiali numine dati judices recuſari permittantur, *d. l. apertiſſimi.* Quinimò receptum eſſe interpretes dicunt, quod nec Princeps tollere poſſit facultatem recuſandi judicem, *gloſſa in c. ad hæc. De Reſcriptis Dec. c. quoniam contra De Probat.* Quæ recuſandi judicem licentia, tantum favorem ob id in liberâ repub. ſemper habuit, ut *Plinius Secundus* in Panegyrico, *Trajano* Imperatori dicto, tanquam libertatis certiſſimum ſignum ac Imperatoriæ clementiæ ac lenitatis verum τεκμήριον referat, quod recuſari judices à litigatoribus, abſque ullo metu ac offensâ potuerint, etiam in cauſis fiſcum concernentibus, cujus nunquam malam eſſe cauſam dicit prædictus *Plinius*, niſi ſub bono Principe. Ejus hæc ſunt verba: *Sors & urna*

*fiſco*

Ita autem dicta causa specialiter exprimenda et probanda, nam sola earum allegatio non sufficit.

*fiſco judicem adſignat*, *licet rejicere*, *licet exclamare*, *hunc nolo*: *timidus eſt*, *& bona ſeculi parum intelligit*: *Illum nolo*, *quia Cæſarem fortiter amat*: *Eodem foro utuntur Principatus & Libertas*. Proinde nec judices, qualeſcunque ſint, iniquè ferre debent, ex juſtâ causâ ſe recuſari, nec *Advocatus* abſque reprehenſione clienti hac in re deeſſe poterit, cum non ignoret, recuſatione interpoſitâ, proceſſum poſteà habitum, ipſo jure nullum eſſe, juxta *Innoc. Abb. & alios in c. cum ſpeciali de Appellat. lat. Alex. conſ.* 89. *vol.* 1. etiamſi non ſit appellatum.

---

## Cap. XVII.

### *De libello, reſponſione, reliquiſque proceſſus partibus ſeu ſcripturis.*

Quid ſit Libellus?

IAm verò ſi contra Citationem emiſſam judiciſque qualitatem, quod vel incompetens vel ſuſpectus ſit, nullis exceptionibus locus ſit amplius, ſed lis ſuo tramite omninò decurrere debeat, *Advocatus*, Actoris libellum, actionem & futuræ litis ſpeciem complectentem, edere debet in judicio, ut Reus conventus deliberare queat, cedere an contendere velit. Dabit autem operam *Advocatus*, ut factum cauſamque aptam quæ medium eſt concludendi, & ex quâ ſequi poſſit condemnatio, claris aptiſque verbis, omni dubio & obſcuritate carentibus, in libello, per articulos ritè diſtincto, juxta Curiæ Ordinationem 20. Decem-

cembris anno 1541. publicatam, & ultimâ Novembris 1602. renovatam & Enchiridio Statutorum insertam, proponat, subjectâ competenti conclusione: Narratio siquidem & conclusio demonstrant, qualis actio proposita sit. Et cúm libellus sit substantiale fundamentum litis, usque adeò, ut eo ad nihilum redacto, processus reddatur nullus; *c. examinata. ibi Felin. De Iudiciis, & D. D. c.* 1. *de libelli oblat.* providere debet Actoris *Advocatus*, ut libellus sit aptus, omnique ex parte absolutus atque perfectus: Nam ex vitiosâ petitione Actor obtinere nequit, licet probatio exquisitissima subsecuta sit. Proinde *Advocato* Rei considerandum est & inquirendum, an libellus non aliquo respectu impugnari & subverti possit. Nam illa exceptio ineptitudinis, vel incertitudinis, generalitatis, obscuritatisque libelli, in quâlibet judicii parte, atque adeò & post sententiam opponi potest: *Iason in l. si patronus ff. De Iurejurando. Bald. in l. Exceptionem. C. de probat. Maranta in spec. aureo, parte* 6. *§. novum membrum, nu.* 5. *Panor. in d. c. examinata, nu.* 3. *&* 4. *Dec. cons.* 152. Quinimò Judex ex officio talem libellum ineptum lacerare ac rejicere tenetur, *Baldus in l. final C de annali except. gloss. & DD. in l.* 1. *ff. de off. Ass.* Ad hæc prospicere debet *Advocatus* actoris, ne quid libello inserat, clienti suo damnosum, habetur enim pro confessione judiciali, quæ contrà Actorem probat: Quod tum procedit, si reus talia narrata libello comprehensa, acceptaverit; secus si contradixerit: Eo siquidem casu istiusmodi narrata confessionem induentia, non nocent narranti & confitenti, juxta ea quæ tradit *Baldus, in l. si*

*magnum. C. Qui accusare non poßunt. l. 1. C. de confessis.* qui dicit, ex libello negato neminem se fundare posse. *Parisius cons.* 115. *lib.* 1. *num.* 31. Denique providere debet, ne clausulam illam salutarem omittat: Peto mihi jus justitiamque administrari, omni meliori modo ac via, &c. Quæ ejus est efficaciæ, ut videatur litigans omne jus suum qualitercumque competens, in judicium deduxisse, juxta communem Doctorum opinionem. *in c. cum dilectus de ord. cog. c.* 2. *de offic. ord. Iason in L. petens. C. de Pactis. Ang. §. omnium. Instit. De Actionib.* Imo operatur & efficit ista clausula, ut judex in judicando solùm rei gestæ veritatem, quæ ex actis constat, non petitionem Actoris respicere debeat prout tradit *Guido Papa, cons. &* 49. Dicens, quod propter hanc clausulam judex potiùs respicere debeat, ad jus partis, quam ad Actoris petitionem. Cujus virtute etiam expensas, licet non petitas, judex adjudicare potest, ut inquit *Mynsingerus, consilio* 16. *num.* 49. & sententiam super inepto libello quoque ferre, juxtà ea quæ tradunt doctores diversis locis. *Abbas in d. cap. cum dilectus. Socinus cons.* 39. *parte primâ. Iason in d. l. petens. Ang. d. §. omnium. Felyn. c. cum super De offic. delegat. Innoc. in c. examinata. de judic.* Imò tantæ potentiæ est prædicta clausula, ut siquis possessorium intentaverit cum d. clausulâ, etiam in petitorio obtinere possit, *DD. in d. c. cum dilectus. Felyn. in c. licet Hely, De Simonia. Iason. in l. naturaliter §. nihil commune, De Acq. poß.* Quemadmodum autem à libello abesse debet omnis obscuritas, generalitas & incertitudo: ita quoque responsio Rei omnibus

bus prædictis vitiis carere debet, & elapso trium septimanarum termino, præcisè tradi & exhiberi, quæ non solùm claris aptisque verbis litis contestationem inducentibus, articulisque distincta (prout de libello antè relatum est:) sed quolibet articulo unum tantum factum complecti debet: quod & Ordinatione magni Consilii apud Mechlinienses cautum reperitur, *sub Tit. de Advocatis & Procuratoribus*, *art*. 9. ac insuper ad singulos libelli articulos rotundè & categoricè, vel confitendo, vel negando non quidem generaliter, sed specificè respondere Reus tenetur, alioqui vi ac potestate Ordinationis ultimâ Novembris 1602. promulgatæ ac Enchiridio Statutorum insertæ, pro confessis omnia habebuntur, quæ ita refutata non fuerint. Quod autem de trium septimanarum spacio in iis exhibendis præcisè observando antè dictum est, locum habet, nisi causa aliquo privilegio subnixa, breviori termino in judicio ex Curiæ Decreto tractanda peragendaque veniat: ut est Alimentorum, Matrimonialis, Mercedis non solutæ causa, ac similes, in quibus octiduum præfinitum est. Quod si provisio locum habeat, aut lis 50. aureorum Carolinorum summâ minor sit, juxtà Curiæ constitutionem extemplo respondere reus, ac intra octiduum litem peragere tenetur: Quod & in aliis causis locum habet, in quibus de plano, & sine figurâ judicii, summariè ac sine strepitu proceditur; in quibus sufficit petitionem Actoris, vivâ voce factam, actis inseri. *Clementina*, *sæpè*. *De re judicatâ*. Quód si verò materia tam sit lata & diffusa, variisque circumstantiis usque adeò implexa ac involuta, ut libello responsioneque concludi nequeat, sed omninò

Terminus 3 septimanarum in scripturis exhibendis non semper observatur, sed quibusdam casibus fallit.

replicandum, duplicandum, aut ulterius quoque ſcribendum ſit, utriuſque partis *Advocati* proſpicient, ut in proceſſu omnia facta, quibus probatis, victoriam ſe conſecuturos confidunt, aptè diſtinctèque proponant, nulliſque repetitionibus ac ſuperfluis verbis utantur, quod βαττολογία dicitur. Nam interlocutione judicis ad probandum admiſſi, non alia facta probatoriis articulis comprehendere permittuntur, quàm quæ in proceſſu antè ſententiam interlocutoriam propoſita, atque narrata reperiuntur, excluſis tanquam impertinentibus, quæ poſtmodum articulis inſerta ſunt, quorum in proceſſu nulla facta fuit mentio, prout Ordinatione Curiæ 20 Decembris, Anno 1541. promulgata, & ultimâ Novembris, 1602. renovata, cautum reperitur. Atque eò ſpectat proteſtatio ex ſtylo Curiæ, interrogatoriis præmiſſa, de impertinentibus non admittendis valde utilis & neceſſaria. Ea ſiquidem efficit, ut eorum in decidendis litidus, judex rationem nullam habere poſſit ac debeat. Prædicta autem conſtitutio eam recipit limitationem, niſi petitâ adverſus omiſſionem in integrum reſtitutione, (quæ ex probabili cauſâ indulgetur) aliter diſpoſitum fuerit: Neque enim quiſquam legitimis probationibus defenſionibuſque facilè ſecludendus eſt, vel præcipitandus: quòd præcipitatio ſit juſtitiæ noverca. Poſtremó illud quoque præcavebunt Advocati, ne in Quadruplicatione ulla inſtrumenta exhibeant: Id enim Curiæ vetat ordinatio, 15 Martij, anno 1597. publicata. Quod ſi fecerit Reus, poterit Actoris *Advocatus*, licet in cauſâ concluſum ſit, ea refutare, præcisâ contradictione ejus qui hoc fecit. Porrò & illud vitabunt

*Ad-*

*Advocati*, ne prolixitate ſcribendi vel adverſarium obruant, vel Judici tenebras offundant, memores ejus, quod rectiſſimè *Baldus* dixit, tantum valere unum verbum effectivum, quantum mille. Quâ in parte, ab aliquibus *Advocatis*, pluribus abhinc annis valdè peccatum eſt. Tempore, quo nos relictâ Mechliniâ praxin in patriâ exercere cœpimus, anno 1572, *Advocatos* hujus Curiæ, viros canicie venerandos, Juris ſcientiâ, & praxis peritiâ præſtantes, prudentiâ morumque gravitate conſpicuos, fideque prope ſingulari, quorum nemo in vivis nunc eſt, ab iſtâ prolixitate alieniſſimos fuiſſe vidimus, quam illi tanquam peſtem juſtitiæque remoram, averſabantur: quorum aliqui in cauſis gravioribus nos ſæpè hæſitatione liberarunt, ac conſilio inſtruxerunt ignorantiam noſtram. Quam ipſam prolixitatem ut obſcuritatis matrem à judiciis pellendam fugandamque, sereniſſimus ac potentiſſimus Angliæ, Scotiæ, Hiberniæque Rex *Iacobus*, ejus nominis I. in dono Regali ad filium diſertis verbis monet, neque immeritò quidem, cùm veritas ſimplex ſit, quæ fuco coloribuſque non eget, paucisque declarari poteſt: undè & ſuſpecta judicibus iſta prolixitas plerunque ſolet eſſe. Quæ quidem nimia prolixitas, Edicto prædicto cauſam dedit anno 1597. promulgato, quo centeſimum articulorum numerum, & quadruplicationem, abſque Curiæ permiſſione, libello ſupplici impetratâ, excedere non licet, ſed ut illa prolixitas, ita & alii complures abuſus, hoc ævo nimis maligno, in praxin hujus Curiæ irrepſerunt, quibus tollendis reſecandiſque, Ordinationibus diverſis, ultimâ Novembris 1602 promulgatis, aliquatenus proſpectum eſt:

Nos

Nos certè cùm *Plinio secundo, Epistolâ ad Maximum lib. 9.* fateri cogimur, descivisse nos à consuetudine parentum, apud quos omnia disposita, moderata, tranquilla, majestatem loci pudoremque retinebant.

---

## Cap. XVIII.

### *Quod sit officium Advocati in processu concludendo ac instruendo ante sententiam interlocutoriam.*

PRocessu ut antè retulimus, ad conclusionem perducto, *Advocatorum* partes sunt, eam in instruendo curam diligentiamque adhibere, ut factâ cum originalibus scripturis (gallicè minutes vocant practici) collatione, inspiciant, num in describendo alicubi erratum sit ab amanuensibus Curiæ, & si errata vitiaque deprehenderint, ea sedulò corrigant, & per articulos aptè numeris distinctos notent, suâque subscriptione munitum, *Graphæo* Curiæ, aut illius vicario, quem Actuarium appellant, actis inscribendum adnotandumque porrigant. Si enim secus factum fuerit, facilè fieri potest, ut totus processus intercidat, quod aliquandò accidisse conquestos fuisse *Advocatos*, quorum intererat, audivimus. Certè Curiæ ordinatione nuper publicatâ, injunctum est *Advocatis*, ut prædictis solemnitatibus adhibitis, processus instruant, instructosque debito loco collocari ac reponi procurent, adnotatione prius factâ, quo die, mense, ac anno,

anno, aliis processibus accesserint. Omninò autem sollicitè cavere debent, ne concluso processu in judicio, eum instructuri, aliquod instrumentum in processu non exhibitum, nec à parte adversâ antè visum, repertorio adjiciant ac infarciant. Id enim non tantùm permissum non est, lege prohibente, sed prorsus pugnat cum fide boni viri, qualis vel maximè esse debet *Advocatus*. Nulla enim injustitia major excogitari potest, quàm si operam det & ingenii nervos omnes intendat *Advocatus*, ut quo jure, quâve injuriâ, adversarium circumvenire atque supplantare possit, ad obtinendam causæ victoriam. Quinimò si machinationibus callidis technisque reprobatis, *Advocatus* sententiam pro cliente suo consecutus fuerit, ad restitutionem tenetur, sive in ingressu litis, sive postmodum clientem suum injustam fovere causam deprehenderit, non minus quàm si per imperitiam aut negligentiam causâ justâ cliens ceciderit, utroque enim casu tenetur *Advocatus* ad restitutionem, ut dictum est. *Alberic. in l.* 1. *C. de suffrag. Host. in summa de Advocat.* §. *fin. vers. tenen. Spec. eod. tit. vers. qui si perimprud.*

---

## CAP. XIX.

## *De Interlocutoriâ Iudicis sententiâ.*

PRocessu conclusò, & juxtà Curiæ stylum instructô, consueverunt aliqui *Advocati*, ad præcidendas moras, & ut eo citius ad probationes proferendas admittantur, suo periculo (etiam refragante adver-

verſario) petere proceſſum interlocutione judicis terminari, parteſque ab probandum admitti. Id quia periculo non caret, cautè *Advocatus* in eo negotio verſari debet, non ignarus, quod ſi Curiæ, proceſſu poſteà cenſenti, ſecus viſum fuerit, non impunè laturus ſit. vidimus enim noſtro tempore, *Advocato* magni nominis, duarum librarum Flandricarum mulctam irrogatam fuiſſe, quod proceſſum in factis conſiſtere adſeveraſset, & ſuo periculo interlocutionem judicis delegati intervenire procuraſset, quem Curia ad inſtantiam *Advocati* partis adverſæ poſtmodum abſque interlocutione terminari potuiſse deprehendebat & definiebat. Tutius itaque fecerit *Advocatus*, ſi Curiæ cenſendum proceſsum obtulerit, ejuſque definitionem expectaverit, niſi res tam ſit manifeſta, ut *Advocatus* quoque partis adverſæ facti eſse quæſtionem declaret. Quòd ſi per malitiam id fecerit, ut eâ viâ terminationi litis remoram injiciat, ac adverſarium fruſtratoriis dilationibus detineat impediatque, certus eſse debet *Advocatus*, graviſſimè Deum, omnis injuſtitiæ, doli fraudiſque hoſtem, offenſum iri, atque ſe ad expenſarum damnorumque & ſalarii proprii non tantùm in foro poli (ut loquuntur) ſed & foro fori reſtitutionem teneri. Illud autem ſui eſse officii *Advocatus* intelligere debet, ut Interlocutione judicis factâ, & partibus ad probationes inferendas admiſſis, ſtatim clientem alibi commorantem certiorem faciat, eumque moneat, ut primo quoque tempore ad ſe veniat, de articulis concipiendis probationibuſque præparandis communicaturus, non ignarus, Ordinatione Curiæ nuper renovatâ, Enchiridioque Statutorum inſertâ,

pri-

primam dilationem à die latæ ſententiæ Interlocutoriæ, initium capere ac labi, licet in judicio ab Adverſario nulla ſit facta interpellatio. Quod *Advocatus* omittere & negligere minimè debet, cum & clientis interſit ſcire, & ille quoque eo nomine ſalarium percipiat.

## CAP. XX.

## *De Dilationibus probatoriis.*

CUm objectum, finis ſcopuſque *Advocationis* ſit juſtitia ſacroſancta, circà quam verſatur cauſarum patronus, eàque ſit unicum reip. vinculum idque fortiſſimum, quo concordia civium colligatur & continetur, quâ ſublatâ nihil cuiquam exploratum eſſe poteſt, quid ſuum, quid alienum ſit, teſte *Cic. In Oratione pro Cecinna*. Illud *Advocatus* ſibi perſuaſum habere debet, nihil tam ad officium ſuum pertinere, quàm ut lites incolarum ſibi commiſſas quàm citiſſimè ad finem perducat. Quod tum futurum eſt, ſi dilationibus ad probationes producendas jure conceſſis, præcidendis decurtandiſque invigilet. Quorſum enim dilationum temporibus, duobus videlicet menſibus elapſis, tertiam ſibi dilationem concedi poſtulat *Advocatus*, teſtibus in provinciâ commorantibus, qui prioribus duabus currentibus nullam diligentiam præſtitit, ſed in utramque (ut dici ſolet) aurem dormivit? Quorſum adverſus non unius aut alterius, ſed trium quoque terminorum lapſum in integrum reſtitutionem

K

onem postulat, is qui prioribus currentibus ac labentibus, ne diploma quidem (*Commissionem* vocant,) nedum Citationem ad testes suos evocandos requisivit? Illud extrà controversiam est, *Advocatos* eâ de causâ pessimè audire, atque falsissimè à populo traduci, quod datâ operâ plures & superfluas dilationes, sine clientis quoque mandato, ad fatigandum adversarium & lites protrahendas sibi concedi postulent. Profectò fateri oportet, eos, qui malitiosè hoc student, contrà jurisjurandi religionem, in conscientiam & viri boni officium peccare & delinquere, cùm quantum in se est, reipub. tranquillitatem, civiumque concordiam convellant atque conturbent. Interim tamen nolim ea, quæ dicta sunt, ita accipi, quasi cuiquam author esse cupiam, ut adversarium suum à probationibus secludat: Scimus enim favorem habere probationes, quibus causa instruitur atque allegata in processu docentur, earumque non angustandam, sed ampliandam esse facultatem, ut loquitur Imp. *in l. quoniam C. de hæreticis & Manichæis*. Sed id tantùm improbamus, ac bonæ fidei neutiquam congruum esse testamur & declaramus, si quis ex composito cum cliente suo hoc agat, ut finem litis protelando ac differendo, partem adversam morâ longâ sumptibusque fatigatum, vel ad deserendam litem, vel transigendam, velit nolit, compellat adigàtque. Illud enim à viro bono, qualis *Advocatus* esse debet, quam remotissimum esse debere, nemò vel micâ conscientiæ præditus, diffitebitur. Facit enim talis *Advocatus* contrà legem charitatis, facit contrà leges & Ordinationes publicas, quibus jurejurando obstrictus est, denique contrà juris præcepta

ta quæ profitetur: Neque enim quidquam ab honeſtate tam eſt alienum, quàm facultates proximi, iſtiuſmodi malis artibus techniſque atterere & peſſundare. Quòd ſi verò alteruter ex litigatoribus, elapſis dilationibus tribus, teſtes ſibi producendos arbitretur, ſupplici libello Curiæ porrecto, expreſſis impedimenti cauſis, aliquod ſibi tempus indulgeri petet, ac re in contradictorio judicio ventilatâ & diſputatâ, Curia, ſi poſtulationem requirentis rationibus ſubnixam compererit, aliquot dierum ſpacium non gravatè concedet, ne quem à probationibus ſecludi contingat. Quam judicialem poſtulationem certis verborum formulis conceptam, *fiat Requeſt, in judicio* Curia conſuevit exprimere.

---

## CAP. XXI.

## *De Poſitionibus, Articuliſque probatoriis.*

QUoniam hujus Curiæ ſupremæ ſtylo receptum eſt, ut, antequam teſtes ad dicendum teſtimonium adhibeantur, utraque pars, jurisjurandi propter calumniam, (niſi illius gratia facta fuerit) religione conſtringi poſſit, quâ ſub nominis divini invocatione declarant & profitentur, parte ad hoc citatâ, ſe credere juſtam eſse cauſam quam perſequuntur, nihilque feciſse, nec facturos eſse, quo judicum integritas labefactetur, & veritatem candidè ſimpliciterque dicturos, nullis ſuperfluis dilationib. trahendæ litis gratiâ uſuros; *Advocatus* cavere ſummoperè debet, ne clientem inſtruat, quid ad poſitiones articuloſque reſpondere

Advocatus habens ad hoc speciale mandatum nomine clientis in animam ejus jurare potest. Soudain praxis fol. 30.

dere debeat, ut condemnationem justam effugiat. Gravissimè certè istiusmodi *Advocati* peccant, qui & jurisjurandi religionem violant, & Deum Opt. Max. justitiæ veritatisque protectorem & vindicem, imò veritatem ipsam offendunt, insuperque clientem proprium mentiri docentes, maximo sese peccato involvunt. Quod si cliens instet ac urgeat, consiliumque petat, quid respondere debeat, ut victoriam obtineat, faciet *Advocatus* quod *Ioannes Baptista Caccialup.* in Tractatu suo de officio *Advocati*, faciendum suadet, *quæst.* 4. *nu.* 15. ut dicat. *Si sic responderis, perdes causam, si aliter & contra veritatem, animam perdes.* Tenetur certè *Advocatus*, graviter clientem suum monere, & divini numinis iram vindictamque ob oculos ponere & inculcare, ne contrà veritatem respondeat, sed ut purè ac planè, præsertim de proprio facto, absque ullâ limitatione ac adjectione respondeat. Id si fecerit, Deo conscientiam suam probabit, & laudem bonumque nomen apud homines, etiam eos, qui mali sunt, sibi conciliabit. *Fides etenim in præsentiâ, eos quibus resistit, offendit, deinde ab illis ipsis suspicitur atque laudatur*, teste Plinio 2. *lib.* 3. *Epist. ad Minutianum*. Porrò *Advocatus*, qui positiones, articulosque conscribit, id prospicere quoque debet, ne nova facta in processu non allegata articulis inserat, ne singulis articulis amplius quàm unum factum complectatur: id enim vetat Curiæ Ordinatio 15. Martii 1597. promulgata ac Enchiridio Statutorum inserta, sub Rubricâ de *Advocatis*, *artic.* 13. Quod & Ordinatione magni consilii apud Mechliniam cautum est, *artic.* 34. sub *Tit. Ordonnance & stil de proceder.* Sed nec articulos

Advocatus nova facta in processu non allegata articulis inserere prohibetur;

los ita concipere debet, ut rudes ſimpliceſque homines, per confeſſionem, per verbum (*credit*) prolatam, in captionem incidant, quod tum fieri ſæpè vidimus, quandò præjudiciabilis aliqua qualitas, multis verborum involucris tecta, articulis inſerta reperitur, quam reſpondens, doli neſcius, in reſponſione ſuâ non excepit. Id ſiquidem *Advocatus*, ut vir bonus, ſalvâ conſcientiâ facere nequit, qui in eo, ut in reliquis proceſſus partibus, bonâ fide & ſyncerè verſari debet, nec quicquam admittere, quo clientis ſui adverſarius ſupplantetur, damnumque accipiat injuſtè. Verum enimverò, cùm ipſæ poſitiones ab Actore conſcriptæ exhibitæque, contrà eum tanquam confeſſum probent, *cap. finali. de jurejurando.* adeò ut revocare talem confeſſionem tanquam judicialem nequeat, *Spec. Tit. de poſit. §. decimo. num* 8. ſollicitè providebit *Advocatus*, ne poſitionibus articuliſque ea complectatur, quæ clienti proprio præjudicare poſſunt: Producens ſiquidem poſitiones, fatetur vera eſſe, quæ in illis continentur, *l. cum precum*, *C. de lib. cauſ. l. tranſactione. ibi Bald. C. de Tranſact. Alex. conſ.* 71. *lib.* 1. Porrò cum aliqui *Advocati* conſueverint, partis adverſæ, ac etiam teſtium, poſitionibus interrogatoriiſque crimina complecti; quod videlicet vel perjurus, vel adulter, vel hæreticus ſit, & iſtis reſpondere non teneatur, erit *Advocati* partis adverſæ officium, monere clientem ſuum, vel teſtem, ne tali poſitioni criminoſæ reſpondeat, alioqui enim ſi faſſus fuerit tale delictum, dictum illius nullius erit momenti, teſte Lanfranco, *Tit. de teſt. num.* 79.

## Cap. XXII.

## De Confessionibus.

RESponsione ad positiones articulosque redditâ, prima cura erit *Advocati*, diligenter inspicere, quid clientis adversarius responderit. Nam si confessus fuerit id, quod est intentionis fundamentum, salva res est: nec enim necesse erit, testibus producendis oleum operamque perdere: cum nulla sit efficacior probatio, quàm propria confessio, *l. cum te. C. de Transact. l. generales. C. de non nu. pec. l. fin. C. de fideicom.* Confessio siquidem judicialis, ab omni onere probandi relevat: Imò confessi, in jure pro judicatis habentur. *l. unica. C. de confessis.* Et ratio est, quia quodammodo suâ sententiâ damnantur, *l. 1. ff. eod. tit.* atque ob id nullæ dicuntur esse partes judicantis in confitentes, nisi ut condemnet. *l. proinde. §. ult. ff. Ad. l. Aquiliam.* Unde ex illâ confessione procedi solet ad sententiam definitivam, etiam in causis capitalibus. *Ang. in l. ea quidem. C. de Accus.* Quod tamen non indistinctè procedit, sed concurrere debent ea, quæ interpretes tradunt. Quorum primum est, ut sit facta coram judice suo. *l. 2. De confessis, c. at si clerici. De judiciis.* Nam sicut sententia à non suo judice lata, est nulla; Ita quoque confessio coram eo prolata non stringit. *Butrius in d. c. at si clerici, & c. si diligenter. De foro compet. Alex. cons. 30. lib. 7.* Deinde requiritur, ut sit facta adversariô præsente: licet id in hac materiâ locum non habeat, in quâ de

eâ

eâ tractatur confessione, quæ ad partis instantiam, & judicis interrogationem seu examinationem super articulis, factisque in processu ante interlocutoriam negatis, fieri consuevit. Et licet aliâs in confessionibus ad obtinendam victoriam requiratur quoque, ut sit facta à majore 25. annis, ob id quòd minor adversus suam confessionem, in integrum restituatur, *l. certum. §. in pupillo, ff. De confessis. L. si ex causa judicati §. nunc videndum, ff. De minorib. 25. annis*, prætereà ut sit facta liberâ voluntate, & non coacta. *L. confessionib. ff. De interrogat. Act.* Ad hæc, super re litigiosa: Ea tamen in his confessionibus de quibus agimus, locum sibi non vendicant, cum minor personam standi in judicio non habeat, nisi ætatis veniâ impetratâ: Eâ enim indultâ, omnes actus legitimos exercere potest, non minus, quam qui 25 annum explevit, prout decisione Curiæ hujus, re ab *Advocatis* in dubium vocatâ 29 Junii 1604 definitum est, ut in judicio cesset omnis metus vel coactionis suspicio. Illud autem præter cætera in hisce confessionibus requiritur, ut sint factæ ex certâ scientiâ & non errore. Is enim qui errat, non fatetur. *l. non fatetur. ff. De confessis.* Unde error facti necdum finito negocio nemini nocet. Quo probato, judicis est providere, ne parti erroneè confessæ, aliquod exinde præjudicium generetur. *c. fin. De confessis.* Quamvis autem regulare sit, ut antè diximus, quod confessi pro judicatis habeantur, & confessio ab onere probandi relevet; multi tamen, præter eos quos retulimus, in jure casus sunt, quibus confessio confitenti non præjudicat, veluti si posteà liqueat, articulos fuisse imper-

tinen-

tinentes. *Innoc.* in *c. cum conting. de offic. delegat. Marant parte 6. tit. de posit, num.* 33. *Mynf. conf.* 229. Item si quædam apud Acta profiteatur, ancillam se vel servam esse. Talis enim confessio, confitenti non præjudicat, & hæc defensionem libertatis non excludit, *l. interrogata. C. de liberali causa.* Similiter si conjugatus fateatur, ante contractum matrimonium, se uxoris suæ consanguineam cognovisse, imò fateatur uterque, tamen propter talem confessionem, non separantur conjuges. Porrò ad nostram materiam quod attinet, illud extrà controversiam est, si partes jurejurando de veritate dicendâ præstito, ea quæ positionibus judici exhibitis comprehensa sunt, & ad victoriam consequendam sufficiunt, respondendo confessi fuerint, testium productionem necessariam non esse; ut nec tunc, quandò pars ad respondendum articulis, binâ citatione evocatâ, contumaciter emanet: habetur enim quoäd positiones in judicio exhibitas, (quod necessariò requiritur) pro confesso, *d. cap. ult. de confessis. lib.* 6. Id enim stylus hujus Curiæ recepit, & in praxi observatur. Quod tamen non aliter procedere tradunt interpretes, nisi sit præsens coram judice, & monitus ut juret, non respondeat dum præsens est, vel contumaciter se absentet post admonitionem factam à judice, ita ut contumacia nullâ ratione possit excusari, *glossa in c. si post præstitum. Bald. in l. unica. C. de confessis, & in l.* 2. §. *quod observari. C. de juramento calumniæ. Cantiunc. conf.* 27. *num.* 59. Neque verò *Advocatum* movere debet, responsiones partis adversæ examinantem, si qualitatem aliquam restrictivam adjectam deprehenderit; cum igno-

rare

rare non debeat, iſtius qualitatis, quæ reſponſioni affirmativæ adjecta eſt, probationem reſpondenti, eamque alleganti incumbere: Quâ non probatâ, perinde habetur, ac ſi purè abſque adjectâ qualitate reſpondiſſet, confitens id, in quo cardo negocii verſatur & conſiſtit. Illud prædictis obiter adjiciendum arbitramur, non requiri præcisè partis ipſius ad articulos reſponſionem, ſi propter probabilem cauſam adeſſe nequeat, ſed per *Advocatum* aut procuratorem, in animam clientis jurantem, reſponſionem dari poſſe, ita NB tamen ſi ad ſingulos articulos inſtructionem tranſmiſſam habeat atque exhibeat, alioqui reppellendus; quod & *Ordinatione Curiæ Hollandiæ artic.* 125. cautum ac permiſſum reperitur.

---

## CAP. XXIII.

## *De Interrogationibus ad Articulos exhibendis.*

INterrogationum, quæ & interrogatoria à practicis dicuntur, uſus, in judiciis cauſiſque forenſibus ferè omnibus ſibi locum vendicat: Ut nimirum pars, contrà quam teſtes producuntur, articulis interrogationes ſubjiciat, ſuper quibus non minus quàm ipſis articulis teſtes examinari & interrogari debent, ob id, quòd magnum ad eruendam veritatem momentum habeant, atque eo nomine ſolùm exhibeantur, ut judici tanto promptius veritas innoteſcat, *c. præſentium. De Teſtib. lib.* 6. *Mynſing. conſ.* 3. *nu.* 4. Nam ſi teſtes non ſint integræ fidei, animis eorum, ex aliquâ

causâ, in favorem ejus, à quo producuntur, inclinantibus ac propendentibus, per interrogationes ad omnes loci, temporis ac personarum circumstantias, falsitatis facilè convinci possunt. Siquidem permulti homines reperiuntur, qui ad perhibendum testimonium vocati, faciles sunt, & non satis animadvertunt, quid dicant, qui per interrogationes istiusmodi, non rarò tanquam è profundo somno excitati, semetipsos recolligunt, dictaque sua corrigunt, aut si id non faciant, semetipsos confundunt, testimoniumque suum suspectum reddunt. Quo fieri credimus, ut in *Tribunalibus Orientalium* civitatum, primum ad articulos, deinde ad interrogationes partis singulas, pari fide ac diligentiâ examinentur. Istiusmodi enim informationes nobis sæpè exhibitæ fuerunt, quas non sine voluptate & admiratione legimus. In nostris, tum inferioribus tribunalibus, tum supremâ *Curiâ* non ita fieri vidimus, examinatoribus sæpè exiguam interrogationum rationem habentibus, nisi urgeantur, quod nobis non rarò contigit. Consimiliter quoque in examinandis testibus, ante hac peccatum fuit ab examinatoribus; solâ credulitatis voce contentis. Sed *Edicto Ordinum* nuper publicato, *ultimâ Novembris* 1602. ei rei prospectum fuit, ac injunctum, ut testes audituri, extensè eorum dicta excipiant atque describant, non contenti verbo, *credit*, ut fieri consuevit his verbis, ad primum, secundum, ac tertium, articulos respondit testis, *credit*: Id enim *Ordinatione* prædictâ vetitum est, sed debent ad longùm testium depositiones scripto complecti, adjicientes, quid sit quod verum esse, aut se credere dicant. Quod si obserserva-

ſervatum fuerit, ut præceptum eſt, experientia rerum magiſtra docebit, teſtes non omnia adſeveraturos, quæ articulis, quos ſe credere dixerunt, continentur: præſertim ſi ſuper interrogationibus partis adverſæ diligenter examinati quoque fuerint. Nam aut dicta ſua ſtatim corrigere cogentur, aut ſi id omiſerint, contrarietatis ſemet redarguent. Qui certè mos interrogandi teſtes, laudabilis utiliſque ad veritatem eruendam, mordicus obſervandus ac retinendus eſt: Ac tantò quidem magis, quòd jure civili ac *Curiæ* ſtylo receptum ſit, ut non niſi parte, contrà quam teſtes producentur, citatâ (ut ſcilicet teſtes jurare videat atque interrogatoria exhibeat) fiat examinatio. Quod quidem uſque adeò requiritur, ut niſi id factum fuerit, tota examinatio teſtium irrita reddatur, viribuſque careat. Eſt enim ea obſervatio de ſubſtantialibus judiciorum ſolemnitatibus; quâ omiſsâ, redditur actus nullus, juxtà ea quæ tradunt DD. diverſis locis, *l. ſi quando & l. juris jur. C. de Teſtib. auth. apud eloq. C. de fide inſtr. c. in nomine Domini, de Teſtib. ibi Felyn. Alex. conſ.* 180. *lib.* 1. *Iaſon ad l. proper. §. ſin. C. de jud.* Illud autem ad munus & officium *Advocati* pertinet, ſollicitè proſpicere, ut hæc quæ dicta ſunt, ad unguem obſerventur: & inter cætera præcavere, ne interrogationum vel parti adverſæ, vel teſtibus producendis copia fiat, ante examinationem. Id enim minimè expediret, ſed uſum utilitatemque interrogationum interciperet, teſtibus antè ad ſingula interrogatoria quid reſpondendum ſit, edoctis, ac inſtructis. Porrò operam dabunt *Advocati*, ut in concipiendis interrogationibus modum adhibeant. Neque

enim earum multitudine onerandus est *Curiæ* delegatus; Quâ parte à quibusdam *Advocatis* peccatur, qui omnia clientis sui merita causæ, interrogationibus complecti solent, malo more & exemplo.

---

## CAP. XXIV.

## *De Testibus producendis, & quod sit Advocati in eâ re munus.*

INter omnia, quæ hactenus in medium allata sunt, judicii membra, nullum est, quod majorem fidem, probitatem, ac circumspectionem *Advocati* desiderat, quàm hoc ipsum de quo nunc agimus. Nam cum necessitas rerum ea sit, teste jurisconf. *in l.* 1. *ff. De Testib.* ut in quæstionibus facti, instrumentis deficientibus, nullus ferè detur exitus, nisi per testes, utrâque parte, quod verum est, sibi arrogante, providi industriique *Advocati* erit procurare, ut omnia debitâ curâ ac sollicitudine conficiantur. In primis autem dispiciet, ut legitimè in producendis testibus, nomine clientis sui procedatur, nihil subdolè, nihil contrà formam juris fiat. Cavere itaque debet, ne delegatum judicem seu examinatorem clienti suo propitium, & parti adversæ suspectum, impetrare studeat. Id enim bonæ fidei consentaneum non est, ac jure quoque reprehenditur. *c. ad hæc. De Rescriptis.* Deinde, ne consilium clienti execrabile det, de testibus corrumpendis, aut instruendis, aut ad clientis sui (quæ multo-

torum hominum malitia eſt) requiſitionem inſtantiamque ipſemet id faciat. Peccat ſiquidem graviſſimè qui id facit, teſte *Bart. in l.* 2. *C. de jurejurando propter calumniam.* Sed clientem, ad hoc impium remedium declinantem, ſerio & cordatè monere debet, ne quid tale contrà rectam conſcientiam moliatur, etiamſi omnes latere poſſet, nihilque DEO OPT. MAX. tam exoſum eſſe, quam proximum circumſcribere, dolo fraudeque decipere, & quidem in judicio, cui DEUS ipſe præſidet, cujus oculis omnes hominum actiones patent, qui falli nequit: *Cœleſtis enim oculus juſtitiæ, videt quidquid fit, etiam in locis deſertiſſimis*, teſte Philone Judæo, *lib.* 1. *de vita Moſis.* Tota ſcriptura ſacra exclamat contrà calumniatores, mendaces, falſosque teſtes, per quos optimus quiſque, in vitæ, nominis, vel facultatum diſcrimen facili vocatur negocio. Unde apud *Salomonem Prov.* XXV. Falſus teſtis dicitur eſſe jaculum, gladius, & ſagitta acuta. Exemplum præbet duorum ſenum adverſus pudiciſſimam matronam *Suſannam* teſtimonium falſum, quæ ad ſupplicium ducta, lapidibus obruta fuiſſet, niſi *Danielis* pueri, per divinam inſpirationem, ad vindicandam injuſtè damnatæ innocentiam, provocatione liberata fuiſſet, ſenibus, per diverſi loci circumſtantiam, interrogatione factâ, de falſo teſtimonio convictis & lapidatis. *Dan.* XIII. Quinimo & CHRISTUM ſervatorem noſt. *Scribæ* & *Phariſæi* falſis teſtibus convincere conati ſunt, omnium innocentiſſimum, ut & *S. Steph.* martyrem. *Act.* VI. Qua propter nullâ in re majorem adhibere cautionem debet *Advocatus*, quàm in teſtibus producendis, ne quid fiat, quo teſtium in-

integritas evertatur aut teſtimonium illius parte adversâ non vocatâ corruat, cùm nec indicium faciat, juxtà ea quæ tradunt interpretes. *Bart. in l. fina. C. de quæſtionib. Bald. in l. jubemus. C. de probat. Innoc. in c. per inquiſitionem. De electionib.* Neque verò id solùm pecunia muneribusque fit, ſed & tum quoque corrumpitur teſtis aliquo modo, ſi in cauponâ opiparè eum tractari vino vel alio potu inebriante procuret cliens, vel illius *Adcocatus*, quod in hac *Provinciâ*, malo more frequentiſſimum eſt. Nam ea quoque corruptelæ ſpecies eſt, ſi homines ſint infimæ ſortis, & iſtiuſmodi tractationi non aſſueti. Quo fit, ut homines iſti teſtimonium perhibituri ſæpè bene poti *Commiſſario* examinandos ſe offerant. Qui meritò & non ſine gravi & acri reprehenſione increpandi & repellendi ſunt, & non niſi ſomno diſcuſsâ crapulâ admittendi & examinandi. Et licet adverſus tales teſtes, legitimæ conpetant reprobationes ac refutationes, ſatius tamen eſt, veritatem ab hominibus, iſtis remotis obſtaculis prædictis, nudam ſimplicemque proferri. Nam ſi veritatem corrupti aliquo modo oppugnaverint, & quod falſum eſt, in gratiam producentis dixerint, aut eam reticuerint, certò ſibi perſuadere debent, divinam vindictam ultionemque ſe non evaſuros. Nec ſolari falſum teſtem debet, quod imperator *in l. 2. C. de jurejurando. l. nam ff. De dolo.* dicat, perjurium ſolum DEUM habere ultorem, ut putent extrà omnem pœnam ſe conſtitutos etiamſi de perjurio appareat; cùm *Ulpianus* referat, *in l. ſi duo verſic. finali ff. de jurejurando.* Imperatorem reſcripſiſſe cum patre, eum qui pejeraſſe convictus erat, fuſti-

Perjurij pœna jure Civili.

ſtibus caſtigatum dimittendum eſſe, tametſi & id tum procedere dicat gloſſa, ſi perjurium non cedat in alterius præjudicium in cap. quicumque, 6. *q.* 1. *d l.* 1. §. 1. *ubi Bart. ff. h. t.* Ut & teſtis, qui jurejurando præſtito veritatem ſe dicturum recepit, infamiæ notam contrahit, & ab omnibus honoribus ac dignitatibus repellitur, cùm falſi crimen incurrat, ſi falſum teſtimonium perhibuiſſe probatus fuerit. Tametſi homini Chriſtiano, qui poſt hanc vitam vivorum ac mortuorum judicium futurum credit, nulla gravior pœna accidere poſſit, quàm ſi conſcientiæ morſum perpetuum, tanquam tortorem & carnificem ſurdo verbere cædentem, in animo circumferat. Sed illud aliquando in diſputationem vocatum meminimus, an ne gratiam jurisjurandi facere tenearis, ſi certus ſis, adverſarium tuum pejeraturum, vel teſtem falſum teſtimonium dicturum? Sane charitas Chriſtiana ſuadere debet, (meo quidem judicio) ut jurisjurandi gratiam facias, quod ſalvâ fide teſtimonii licet, quod nimirum nobis charior eſſe debeat, magiſque curæ, proximi ſalus periclitantis, quàm pecuniarium aliquod compendium noſtrum, quod nobis, etiam remiſsâ jurisjurandi religione, ſalvum fortè futurum eſt, ſi veritatem abſque jurejurando profeſſus fuerit ac perhibuerit, quod ſæpè contingit: *Advocatus* certè unicè debet adlaborare, ne ullo modo adduci ſe patiatur, ut vel dicat, vel faciat aliquid in gratiam clientis ſui, quod à fide boni viri, præceptis legum, Curiæque decretis ſit alienum, Ita enim fiet, ut bonam conſcientiam, quæ juge convivium *Salomoni* dicitur, *Prov. cap.* XV. DEO probaturus ſit, ac apud homines

nes laudem comparaturus. Ne autem cursum judicii impediant remoramque liti peragendæ injiciant, curabunt *Advocati*, tum Actoris, tum Rei, ut testes intrà terminum renunciationis, aut à judice præfixum, aut partium conventione designatum, producantur. Nam quod nunc passim fieri videmus, ut ad finem currente tertiâ dilatione, ad productionem se præparent, duabus integris dilationibus, quibus omninò nihil actum est, elapsis, à supinâ negligentiâ, imò malitiâ excusari nequit. Est enim *Advocati* officium, ut interlocutoriâ sententiâ pronunciatâ, clientem suum certiorem faciat ac moneat, ut veniat, ac de testibus producendis consilium capiat. Quod intrà mensem, partibus in provinciâ commorantibus, facillimè verò intrà bimestre tempus fieri potest. Debet certè advigilare *Advocatus* & monere clientem suum per literas, ne sit in morâ.✱Contingere enim potest, ut testes, si senes sint, aut valetudinarii, post primi termini lapsum è vitâ migrent, aut longinquam aliquam pererginationem suscepturi, intrà menses aliquot, aut annum integrum non revertentes, copiam sui facere nequeant. Quo ipso, quàm magna judiciis remora injiciatur, nemo non intelligit. Cui malo ut remedium adhiberi possit, & ne in istas angustias redigatur cliens, curabit, ut testes lite contestatâ, si senes vel valetudinarii sint, aut diu absuturi, audiantur. Id enim fieri posse jure receptum est, argumento à contrario sensu sumpto, *ut lite non contestatâ non procedatur ad testium receptionem.* Quo autem testium examinatio promptior sit & expeditior, debet *Advocatus* schedulam Commissario exhibere, nomi-

nomina teſtium articulorumque numerum continentem, ſuper quibus audiri debent, quod & Ordinatione Curiæ ult. *Novemb.* 1602. promulgatâ atque Enchiridio Statutorum inſertâ præcipitur ac injungitur, ut ita Commiſſario in deſcribendis teſtium depoſitionibus labor minuatur. Illud præcedentibus quoque adjiciendum arbitramur, ad *Advocati* officium etiam pertinere, ut ſi quando adverſarius clientis ſui teſtes producturus eſt, præſens ſit, atque procuret, ne teſtes examinati, depoſitiones ſuas examinandis communicent, quod nos aliquando fieri conſpeximus: facit enim ea res quàm plurimum ad teſtium fidem & veritatem evertendam, teſtibus ex compoſito unum & idem deponentibus. Quod ne fiat, præſentiâ ſuâ *Advocatus* impedire tenetur, ac quantum in ſe eſt, efficere, ut ſeorſim abſque ullâ communicatione ac conſpiratione teſtimonium perhibeant ii, qui vocati ſunt, ne ſi ſecus fiat, juſtam clientis ſui cauſam periclitari contingat. Cui malo ut eatur obviam, conſuetudine in tribunalibus orientialium civitatum receptum eſſe videmus, ut teſtibus examinatis ac dimittendis, à delegato judice ſeu Commiſſario ſilentium injungatur. Satius tamen fore exiſtimamus, ſi jurisjurandi quoque religione ad reticendum teſtimonium adigantur, cum magis divini numinis reverentiâ quàm nudo judicis præcepto homines contineatur in officio.

NB

## Cap. XXV.

## De Instrumentorum editione seu productione.

QUæ de fide *Advocati* in producendis testibus adhibendâ proximo capite diximus, ea quoque in producendis instrumentis locum sibi vendicant. Et procurabit, ut apud Delegatum seu Commissarium, currentibus adhuc dilationibus, ad productionem præfinitis, edantur. Antequam autem id faciat, diligenter tenorem instrumenti legat atque examinet, non ignarus, quòd producens præsumatur omnia fateri, quæ eô continentur. *Innoc. in c. olim. De Censibus. Bald. in l. siquis testibus. C. de Testib.* Deinde cavebit, ne authenticam scripturam temerè parti adversæ concedat, aut in processu exhibeat, ne intercidat, ut non ita pridem conquestos audivimus clientes. Quod autem diximus, instrumenta probatoria, labentibus adhuc dilationibus, exhibenda producendaque esse, usque adeò verum est, ut nisi id fiat, & posteà id facere velit, quod tamen ante conclusionem in causâ fieri debere ordinatione Curiæ 20. *Decemb.* 1541. publicatâ, cautum est, in judicio præsente parte adversâ, id facere teneatur, termino ad contradicendum præfigendo. Exhibenda sunt autem exempla non simpliciter descripta, sed parte adversâ vocatâ, aut contumaciter absente, collata. Eâ siquidem collatione factâ, aut præsente adversario, aut consentiente se absente fieri, par robur habent; aut authentica instrumenta, quæ postmodum exhibere necesse non est, ne deterantur, aut amittantur, cum incommodo clientis,

tis, cui ad fundandam & instruendam causam suam exempla, non eo modo collata, profutura non essent; Neque verò arbitramur opus esse, *Advocatos* monere, ne instrumentis falsis, vel de falso suspectis utantur in judicio, non ignaros id periculo non vacare. Cùm non solum falsum fabricantes, sed & eo scienter utentes, *pœnâ l. Corneliæ de falsis teneantur l.* 2. *ff. hoc. tit.* tametsi textus, discrimen inter eos constituere videatur, *l. falsi. §. Ordine. ff. Ad l. Corn. de falsis.* Illud in confesso est, eum qui falsum instrumentum fecit, atque composuit, pœnâ falsi puniri, etiamsi usus non sit, *l. si falsos. C. eod. tit.* Reliqua verò quæ de fide instrumentorum in jure traduntur, quia ad stylum formamque procedendi non pertinent, quam nos hoc loco & Tractatu tantùm persequimur, prætereunda arbitramur. Illud certè operam dabit *Advocatus*, ut, si instrumentis clientis intentio probari possit, ea legitimo tempore ac modo exhibeat, non ignarus, illorum certiorem esse fidem quàm testium: scriptura siquidem nunquam non sibi similis est, quæ quod continet, etiam quocunque tempore gestum, sine fuco fatetur, cùm probatio quæ per testes fit, fragilis sit, & sæpè fallat, teste *Conrado Bruno in Tractatu suo de legationib. cap.* 7.

---

## CAP. XXVI.

## *De Renunciatione.*

TEstibus ac instrumentis, juxtà formam Curiæque stylum exhibitis, productis ac examinatis, ulte-

teriori eorundem productioni renunciare debent *Advocati*, ut tandem lis recto tramite ad finem decurrat. Ad quem ut perveniatur, dilationes plures quàm tres, concedendæ non sunt, præsertim si litigatores in provinciâ commorentur, & duabus prioribus labentibus, nulla sit adhibita diligentia. In quo certè sæpè peccatur ab *Advocatis*, in utramque (quod dici solet) aurem dormientibus. Quod si verò alterutra pars, ex justâ legitimâque causâ, aliquot dierum spacium sibi concedi petierit, non morosum se præbere debet *Advocatus*, sed eo temperamento adhibito litem tractare, ut *Advocatus* diversæ partis, & ipse Iudex intelligant, nihil agi aut quæri, quo quis à jure suo ac probationibus seclusus, succumbat, sed id tantum spectari & agi, ut hominum malitiis, moras nectentium, litesque ex professo protrahentium, eatur obviam. Indulgendum ergò est ex causâ rationabili, 10 aut 15 dierum spacium, pro ratione ac loci distantiâ sufficiens: cum in morâ modici temporis parvum sit præjudicium. Quod si malitia in petendis adhuc aliis dilationibus tribus elapsis, quibus labentibus, nihil omnino actum est, tam sit manifesta, ut nullo colore excusari possit, non debet *Advocatus* istam fovere malitiam, sed rigidè juris uti remediis, & curabit, ut diversæ parti certus ac peremptorius aliquot dierum terminus præfigatur, intrà quos testes producere cogatur. Præcidendæ certè dilationes sunt, ut tandem finis causæ imponatur, ne lites fiant immortales. Quod quidem eo magis faciendum est, quod hujus Curiæ Ordinatione terminus nullus peremptorius statutus sit, nisi dicas, omnes omninò dilationes peremptorias esse.

CAP.

## Cap. XXVII.

## De Reprobationibus, seu Refutationibus testium.

RENunciatione factâ, testibusque publicatis, *Advocati* partes erunt, totam istam informationem, testiumque dicta diligenter evolvere atque expendere. Et primum quidem Actoris *Advocatus*, cui ut plurimum incumbit probatio, excussis testimoniis inquirere debet, an aliquid, & quid à clientis sui parte probatum sit. Nam si duobus testibus, parte adversâ vocatâ, productis (quod fieri debere antè diximus *l. si quando l. juris jurandi. C. de Testib. L. ubi numerus ff. d. tit.*) omni exceptione majoribus, intentionem suam probaverit, victoriam sibi meritò pollicebitur. Consimiliter quoque Reus, si exceptionem suam, vel solutionem allegatam, aliamque qualitatem, juris agentis exclusivam, planè docuerit, absolvendus veniet. Ut autem voti sui compotes reddantur, ante omnia diligenter ruminare debent *Advocati*, confessiones partis diversæ ad articulos factas. Nam si reus in responsione suâ ad articulos id confessus fuerit quod est ab Actore propositum; res in vado est, nec superest aliud, quam ut condemnetur, ut antè quoque probavimus, *cap. De Confessionib.* Quod si ex responsione talem confessionem elicere non possit, proximum est, ut dicta testium diligenter sollicitèque excurrat, & quid ab unoquoque eorum dictum sit, adnotet, ut scire possit, an valida ex eorum dictis ex-

ſurgat probatio. Iam verò ſi partis diverſæ teſtes reprobandi ſint, *Advocati* prudentis officium erit, quando probra teſtium alleganda ſunt, ad fidem illorum elevandam minuendamque (quod huic parti judicii tanquam ſentinæ malorum peculiare eſt) adniti, ut quantum fieri poſſit, teſtium ignominiam & probra parciſſimè revelare ſtudeat, nihil libidine conviciandi, cuiquam objiciat: Ac in eo ita ſe gerere debet, ut adverſarius ac teſtes, denique judex ipſe intelligant, ſummâ neceſſitate coactum, quæ contumelioſa ſunt, in medium protuliſſe. Nam qui irâ odioque accenſus, teſtes reprobando, ſignificationem præbet, cum voluptate ſe teſtium defectus detegere, is profectò in legem charitatis peccat, & eo ipſo declarat, habere ſe cor felle & amarulentiâ plenum. Illud autem proſpicere, & cum cliente communicare debet *Advocatus*, antequam ad probra teſtibus objicienda deſcendat, an probationes eorum in promptu habeat: Iis ſiquidem deficientibus, graviſſimis injuriarum actionibus clientem involveret, *Oldrado de Ponte*, *Conſ.* 53. & *Ludovico Romano* id atteſtantibus. *Conſ.* 96. Quòd ſi verò probationes præ manibus ſint, ac per teſtes expediri poſſint, articulis ea complecti ac probare ſtudebit *Advocatus*, & in iſtis injurioſis allegationibus eam adhibere cautelam, ut nihil ſine ſpeciali mandato clientis ſui ſcriptis complectatur. Id enim ſi fecerit, & honori ſuo optimè conſulet, & judici fidem faciet, nihil à ſe maledicendi animo atque libidine obtrectandi, in iſto negocio factum eſſe, ſed officii neceſſitate compulſum adactumque ea ſcripſiſſe, quæ alterius exiſtimationem lædunt, ac apud viros bonos

Quid in Articulis Reprobatoriis, observare debeat Advocatus?

nos

nos gravant. Reliqua verò, quæ tum contrà parſonas, tum dicta teſtium adferri poſſunt, quia omnibus in praxi vel modicè verſatis nota ſunt, quippe quæ in reprobationibus inſeri conſueverunt, non eſt neceſſe hoc loco referre, cùm textus legum, è quibus peti ſolent, cuilibet ſint obvii, *l. teſtis idoneus*, *l. pen. ff. hoc tit. l. 2. l. parentes.. C. eod. titul.* Iam verò ſi excuſſis probationibus, teſtiumque dictis, eos non exactè examinatos deprehendat, ad officium *Advocati* pertinet, ut teſtes denuò vocari, diligentiuſque audiri procuret, quod Commiſſarius recuſare nequit. Nam cum in probationibus totius cauſæ victoria ſita ſit, non immeritò *Advocatus* advigilare debet, ut omnibus numeris abſoluta ſit teſtium examinatio, quæ ut plurimum magnis impenſis ſumtibuſque perficitur, præſertim ſi è remotis locis evocentur. Quæ quidem examinationis repetio tunc peti poterit, ſi teſtis de causâ ſcientiæ interrogatus non fuerit, aut non reſponderit ſufficienter, aut ad interrogatoria diverſæ partis non ſit examinatus, quod neutiquam omitti debet. Antequam autem manum de tabulâ (quod dici ſolet) dimoveat, concluſionem reprobationibus teſtium juxtà Curiæ Ordinationem ſubjicere debet, ne in judicio morâ interjectâ, poſtmodum id poſtulare neceſſe ſit.

## CAP. XXVIII.

## *De Salvationibus ſeu ſublevationibus Teſtium.*

DE hoc membro proceſſus judiciarii dici poteſt quod *Salomon* in *Proverbiis* refert *cap.* XV. nimirum lin-

linguam placabilem, lignum eſse vitæ. Jucundius ſiquidem & humanitati congruentius eſt, laudare proximum quàm vituperare, benedicere quàm maledicere, conviciiſque proſcindere. Itaque *Advocatus*, ut omnes reprobationes contrà teſtes à cliente ſuo productos refellat atque amoliatur, totis viribus incumbere atque adlaborare debet, ut contrariis probationibus eas elidat, teſtibuſque ſuis fidem integram ad ſerat. Nam ſi vel in minimis teſtes iſti reprobatorii diſcrepent, aut in circumſtantiis loci, temporis, perſonarumque varient, omnis fides conviciis probriſque in teſtes conjectis abrogabitur, & qui antè bonus ac legalis fuit, nunc quoque talis eſſe præſumetur, juxtà tritam juris regulam. Quibus autem rationibus argumentiſque teſtes ſalvandi ſublevandique ſint, eorumque dicta confirmanda, non eſt noſtri inſtituti in hunc compendiarium tractatum congerere; cùm ea ex libris juris ac interpretum commentariis latiſſimis peti poſſint: Quorum omnium ea communis eſt ſententia, ut dicant, teſtium dicta ſalvari, ſi in principali causâ non diſcrepent, aut aberrent, etiamſi in minutulis circumſtantiis varient, ſed id ſolum nobis propoſitum eſt in hoc Tractatu, monere *Advocatos* tyrones & exhortari, ne clientibus ſuis ſuo officio deſint, ſed ut operam dent ac enitantur, ut remediis juris licitis permiſſiſque, teſtium fama, reprobationibus labefactata & aſperſa, reſtaurari ac in priſtino ſtatu manuteneri queat. Quemadmodum autem de reprobante antè dictum eſt, quòd is ſimul quoque in causâ concludere debeat, idem quoque in ſalvante locum habet, ut eo factô, præter complemen-

Salvans concludere debet in causa:

mentum (quod Galli *fournißement* appellant) nihil amplius agendum superſit. Id enim Ordinatione magni Conſilii cautum reperitur, *artic.* 36.

## Cap. XXIX.

### *De complemento ſeu repertorio proceſſus, poſt ſententiam interlocutoriam.*

Concluſione in reprobationibus & ſalvationibus juxtà Curiæ Ordinationem factâ, aut ſi pars adverſa detrectaverit, ejuſdem ordinationis remedio implorato, ad inſtruendum complendumque proceſſum *Advocatus* accingere ſeſe debet. Neque enim res parvi eſt momenti, & quæ perfunctoriè tractanda eſt ac peragenda. Nam non ſolum teſtium depoſitiones & inſtrumenta, ſi quæ exhibita ſunt, clientis ſui, per delegatum Curiæ ſeu Commiſſarium inferri ad Curiam procurabit, ſed ea quoque ad amuſſim examinabit, an ritè ſint deſcripta nec ne, peccatur enim ſæpè ab amanuenſibus Conſiliariorum, qui pueri cum ſint ac ſcribere ſæpè neſciant, affirmationis loco negativam, aut contrà, per errorem ſubſtituunt. Quòd ſi eâ parte nihil peccatum deprehenderit, proxima erit cura, ut repertorium (quod inventarium vulgo dicitur) omnium eorum quæ poſt interlocutionem exhibita ſunt, conficiat, & in eo, vel characterum, vel numerorum notis deſcribat, quid repertorium contineat; Et ſi inſtrumenta producta ſunt, adnotare juxtà Curiæ, *Ultimâ Novembris* 1602. *promulgatam* ordinationem tenetur,

netur, quorſum & ad cujus facti vel articuli probationem faciat: id enim non parum judicis laborem minuet. Neque verò ſufficere arbitrabitur, ſi à ſuâ parte omnia ſe benè habeant, ſed adverſæ partis inventarium inſpicere debet, ut ſcire poſſit, an aliquid ab adverſario inſertum & infartum ſit, quod in proceſſu antè exhibitum non fuit: Id enim ſi deprehenderit, *Advocatum* monere & increpare debet, ut amoveat, aut ſi recuſaverit, ſupplicî libello Curiæ porrectò ſignificare debet, ac petere ut illi injungatur, ut id faciat. Profectò qui talibus utuntur artibus ac technis, ſpiritum CHRISTI minimè redolentibus, in viris bonis habendi non ſunt. Etiamſi enim cauſam juſtam foveat, injuſtis tamen modis mediiſque promovenda ac tuenda non eſt, teſte *Didaco Covarruviâ*, excellentiſſimo hujus ſeculi juriſconſ. qui ſententiam noſtram *cap.* 7. relatam ex profeſſo confirmat. *lib.* 1. *variarum reſolut. cap.* 2. Illud quoque corollarii vice adjiciendum exiſtimamus, inter illicita quoque connumerari, ſi *Advocatus* proceſſum ab utrâque parte inſtructum completumque, & Curiæ fideique *Graphæi*, aut ejus vicario concreditum, ad ſe recipiat, alicui ex Conſiliariis, cujus ſibi favorem fortè pollicetur, obtruſurus. Eo enim ipſo fit, ut ſæpè proceſſus intercidant aut malè tractentur: quod ne fiat, publicè intereſt, & Curiæ Ordinatione quoque cautum vetitumque reperitur.

NB

CAP.

## CAP. XXX.

## De Consiliis seu juris informationibus quæ responsa dicuntur.

PRocessu concluso ac completo, modo ac formâ antè à nobis relatâ, solent *Advocati*, ad majorem & compendiosiorem judicis instructionem, aliquam juris informationem brevem, & causæ litisque statum seu facti speciem, & utriusque partis argumenta, eorumque solutiones & confirmationes complectentem, processui addere & exhibere, quod & in aliis Tribunalibus moris esse & fieri posse non ignoramus. *Bald. Auth. jubemus. C. de judicis.* Sed dubitatum meminimus, an parti adversæ aut illius *Advocato*, istius informationis seu consilii copia, necessariò facienda sit nec ne, quibusdam affirmativam, aliis negativam partem defendentibus, quæ & nobis placet, & in praxi obtinuit. *Hemmingerus Goeden in Tractatu suo de ordinis judiciarii processu*, *Rubr.* 28. *num.* 47. 48. Nam cùm istiusmodi informatio juris, non sit pars processus, nec de substantiâ judicii, teste *Baldo in Auth. Iubemus*, *C. de judiciis*, uti omnes fatentur, (alioqui enim ante conclusionem in causâ exhibenda foret,) necessariò sequitur, partis adversæ non interesse, eam sibi exhiberi atque legendam dari, & eo quidem minus in foro nostro, quòd in processu, partis utriusque causæ merita, & argumenta, plenis velis sint deducta, disputata, atque hinc inde confutata. Aliud fortè dici posset, obtinere debere in praxi

Contrarium efficit in Curia Hollandica

*Hollandicâ*; quam nos in processu quodam magno, in quo de jure viribusque Represaliarum disputabatur, aliam esse animadvertimus. Eum siquidem processum, ab *Advocatis* istius Curiæ primariis, ita conscriptum deprehendimus, ut nihil præter nudam (exquisitam tamen) facti narrationem nullis legum allegationibus vestitam ac confirmatam contineret: Certi interim juris informationem (*Advertissement ou motif. de droict*, appellant Galli) judicibus compromissariis, coram quibus lis pendet, neutiquam defuturam esse, cujus nobis copia nunquam exhibebitur. Magis certè nobis placet hujus nostri fori consuetudo, quâ disputationes in processu fiunt, & res aperto quasi marte geritur, *Advocatis* in scripturis, adversario exhibendis, omnes ingenii ac doctrinæ vires intendentibus, ut clientis sui nomine, argumenta contraria solventes, superiores evadant. Neque enim omnes, qui sententiam in senatu dicturi sunt, absolutam Iuris scientiam in scrinio pectoris habent, ut argumenta ab alterutrâ parte, ex legibus malè usurpatis objecta, aptâ interpretatione, vel distinctione, prout res postulat, proprio marte dissolvere queant; quod non ita difficilè Iudicibus minus versatis, futurum est, si *Advocati* partis adversæ, qui totius causæ statum ac merita per frequentes velitationes veluti in numerato habent, & quosvis fucos facilè deprehendere possunt, solutiones viderint. Quod nobis in gravi & arduâ quadam causâ, quæ in hac Curiâ non ita pridem, sententiâ definitivâ secundum clientem nostrum latâ, decisa fuit, accidisse testari possumus: Quam Actor ipse Iurisperitus, & hujus Curiæ quondam *Advocatus*, non.

NB

non infimi nominis, ſcripto quodam, poſt concluſionem in cauſâ exhibito, variis ex jure, tum Canonico, tum Civili, ad oſtentationem depromptis, ſed perperam uſurpatis allegationibus, uſque adeò ornaverat, ut, niſi nos Curiæ permiſſione impetratâ, illud accuratâ, longâque Iuris informatione, omnibus illius fucatis allegationibus viſis, detectis, atque diſcuſſis, refutaſſemus, res periculo caritura fortè non fuiſſet. Proinde laudanda eſt ac præferenda hujus fori noſtri conſuetudo, omnem verſutiam fucumque, animum judicis ſupplantare valentem, excludens. Generoſi ſiquidem animi eſt, hoſtem adverſis, non averſis vulneribus configere; Vulpinum eſt, ex inſidiis eum aggredi. Permiſſum itaque Curiæ ordinatione, Anno 1591. publicatâ, ac Enchiridio ſtatutorum inſertâ comprobamus, etiam poſt concluſionem in cauſâ, juris informationem ſeu conſultationem judici tradere, parti tamen adverſæ, ejus inſpiciendæ copiam ac facultatem jure denegari poſſe. Ut autem citrà fraudem, omnemque ſubreptionem, ac bonâ fide fiant omnia, cavebit is, qui conſultationem conſcribit, judici tradendam, ne allegationibus legum, ulla facta, in proceſſu non propoſita, interſerat, atque admiſceat. Id enim non licet, & à viro bono & honeſto proboque *Advocato* perquam alienum eſſe debet; cujus eſt, in litibus exercendis, omnia cauſæ clientis ſui merita argumentaque candidè, ſincerè, ac bonâ fide profiteri, atque in medium proferre, & adverſario, exceptâ juris informatione communicare, nihil addere, vel detrahere iis, quæ ſemel exhibita ſunt, quod prædictâ Curiæ conſtitutione quoque eſt cautum, ne

is, ſententiâ poſtmodum contrà ſe latâ, prætendere poſſit, technis ac machinationibus illegitimis, ſe ſuperatum ſuccubuiſſe, vel ſi actor ſit, repulſam tuliſſe. Atque hiſce juris informationibus, ſeu conſiliis, nos aliquoties in cauſis arduis, gravibuſque, tum civilibus, tum capitalibus ſæpè oblatis, uſi ſumus, & quidem non ſine fructu, quas, ſi vita ſuppetat, aliquando in publicum dabimus.

---

## CAP. XXXI.

## *De Sententia Definitiva.*

TOtius laboris, qui litibus exercendis impenditur, ſcopus eſt, ſententia definitiva, ad quam obtinendam quam citiſſimè omne ſtudium ſuum atque ſollicitudinem convertere atque dirigere debet *Advocatus*. Quod ſi ea ex voto contigerit, eſt quod gaudeat, ac clienti ſuo gratuletur, non ignarus, litis eventum, ut belli, dubium eſſe, & ſuffragiis plurium, meliorem ſæpè partem vincentibus, eum ſuccumbere, qui ſecundum ſe pronunciatum iri non dubitabat. Sin causâ ceciderit qui vincere ſperabat, cogitare debet, unumquemque noſtrum, amore ſui quem, φιλαυτίαν græci vocant, excœcatum, aliter de rebus ſuis judicare, quàm rei veritas ſæpè poſtulat: Rapimur enim, imò abripimur affectionum ventis, veri judicium auferentibus. Cui illud quoque accedit, quod non ſemper ſuperior ſit cauſa quæ melior eſt, quod nec mirum eſt, cum *Plinio* teſte *lib.* 2. *Epiſt. ad Arrianum Epiſcop. numerentur, non ponderentur ſententiæ, nec aliud*

*ud in publico consilio fieri possit, in quo nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa: Nam cùm sit impar prudentia, par omnium jus est. Quinimo*, ut inquit idem *Plinius, lib.* 1. *Epistolarum. Epist. ad Corn. Tacitum. ingenia judicum non minus inperspicua, incerta, fallacia sunt, quàm tempestatum terrarumque, ut & varia hominum judicia, variæ voluntates.* Quod de cliente suprà diximus, ac illius præoccupato judicio, idem quoque de *Advocato* dici potest, qui patrocinium præstitit ac causam tutatus est. Is siquidem cæco quodam judicio, sæpè existimat, justum esse legibusque subnixum, quod defendit, licet à scopo aberret. Proinde latâ sententiâ, eam moderationem adhibere debet *Advocatus* circumspectus & cordatus, ut clientem, qui victus est, ab importunis querimoniis & exclamationibus dehortetur, & ad injurias ac probra in judicem evomenda projiciendaque progressum, gravissimè increpet, positis ob oculos periculis, quibus se subjiciat, infamiæ nimirum, juxtà legum definitionem, *l. judici. ff. De injuriis.* nec quidem immeritò, cum in judice omnis cesset sinistra suspicio & præsumpta calumnia, *c. cum clamor. De testib. c. in præsentia. De renunciat.* imò præsumitur judex omnia rectè facere, quæ officio suo incumbunt, *l. 2. c. de offic. civil. jud. Bald. in l. 1. C. Ne quis in suâ causâ*, nisi contrarium probetur, quod factu difficillimum est. Quod si ad reales injurias progressus, manus intulerit judici, in vitæ periculum manifestissimum se conjicit. Cujus notabile exemplum contigisse dicitur in cive quodam *Leovardiensi*, qui, quod Consuli ad fores ædium suarum considenti, cum secundum adver-

sa-

ſarium ſuum judicatum cognoviſſet, minitans ſtricto cultro dixiſſet; Ego te docebo ſententiam ferre, carceribus publicis incluſus, intrà paucos dies capite plexus fuit, rejectis omnibus deprecatoribus. Neque enim permittitur vel clienti vel *Advocato*, judicem verbis nedum factis malè tractare & excipere. Is ſiquidem officio ſuo functus eſt, etiamſi malè judicavit, reſpectu habito, non ad id quod fecit, ſed quod facere debuit. *l. jus, verſic. prætor. ff. de juſtit. & jure, l. judex poſteaquam. ff. De re judicatâ, l. ſi ut propoſnis. C. quom. & quando jud.* Præterquam quod res judicata pro veritate quoque habeatur: & reipub. interſit, rerum judicatarum autoritatem non temerè convelli: Sed ſi is qui victus eſt, omninò arbitretur injuſtè ſententiam contrà ſe latam eſſe, ordinariis juris remediis uti debet, ut nimirum ad ſuperiorem provocet, quod per appellationem fit in inferioribus tribunalibus, aut reviſionem impetret, ſi in Guriâ pronunciatum fuerit: Appellatione ſiquidem ritè interpoſitâ, ſuſpenditur prior ſententia, donec aliter à judice appellationis, pronunciatum fuerit. *l. ſi causâ cognitâ. C. de Tranſact. c. venientes. de jurejurando.* Quæ cum ab omni gravamine interponi poſſit, etiam ab Actibus extrajudicialibus, non eſt quod injuriam vel verbalem, nedum realem in judicem evomendo, malum ſibi accerſat condemnatus, quamvis & alia quoque remedia jure prodita ſint, quibus vel iniquitas, vel nullitas ſententiæ, corrigi poteſt, ut putà beneficium reſtitutionis in integrum, per quam reſciſſâ priori ſententiâ, condemnatus reponitur in priſtinum ſtatum: Quo tum uti poſſumus, quando communi

muni quidem jure valet ſententia, nec ab eâ eſt appellatum: qualis ea eſt, quam judex gratiâ, favore, vel precibus permotus tulit, & tamen in ſpeciem æquum eſt ut reſcindatur, item ex causâ minoris ætatis, *l. minores, C. Si adverſus rem judicatam* vel circumventionis adverſarii, vel legitimæ abſentiæ, *l. minores, C. Si adverſus rem judicatam.* Ad hæc supereſt quoque remedium nullitatis, quo ſententia ipſo jure invalida declaratur, quæ ne nomen quidem ſententiæ meretur, nec executioni, oppoſitâ exceptione, mandari poteſt. Quâ quidem nullitate laborat ea ſententia, quæ à judice incompetenti, vel parte ad ſententiam audiendam non citatâ, prolata fuerit, *l. ſi expreſſim. De Appellat.* & ſi pecunia corruptus *Judex* ſententiam tulerit, quæ venalis dicitur. *l. venales C. Quando provoc. non eſt neceſſe. l. prolatam. C. de Sent. & interloc. omnium judicum.* Item ſi termini ſubſtantiales obſervati non fuerint; ſi ſolitus Judiciorum ordo ſervatus non ſit, cui partes renunciare quoque non poſſunt, *Salic. in Auth. offeratur. C. de litis conteſtat.* ſi ex ſcripto recitata non fuerit, ſi expreſſam continet iniquitatem, ex proceſſu actiſque apparentem, vel publicam læſionem, quæ quoque ipſo jure nulla eſt. Cujus exempla habent textus *l.* 1. *§. item cùm contra. ff. Quæ ſent ſine appell. reſc. & l.* 2. *C. Quando provocare non eſt neceſſe.* Ad hæc, ut diximus, supereſt remedium *Supplicationis* & remedium *Reviſionis*, ad quæ recurrere poteſt condemnatus. Quæ omnia ſupradicta, *Advocatus* clienti ſuo, qui condemnatus eſt, aut repulſam tulit, explicare & intimare debet, ut is omnibus diſcuſſis & exactè perpen-

ſis, apud ſe deliberare poſſit, atque conſtituere, an adverſus ſententiam aliquo prædictorum remedio uti volet, & ut intrà tempus à jure ſtatutum, aut *Placito* præfinitum id faciat, ne poſtmodum elapſo tempore, ſerâ eum duci pœnitentiâ contingat. Ne autem temerè in hac re fiat aliquid, *Advocati* officium erit, ſummâ curâ, ſollicitudine atque etiam prudentiâ cuncta rimari, & conſiderare, utrum ad *Appellationis* vel *Reviſionis* remedium, confugere clienti expediat, ne, ſi ſecus res ceciderit quàm ſperabatur, ſit, quod *Advocato* imputari poſſit. Qui providè faciet, ſi cum aliis *Advocatis* duobus, vel tribus, vel etiam pluribus, in theoriâ praxique verſatis, ſi cauſa gravis magnique ponderis ſit, re communicatâ & in omnes partes diſcuſsâ, quid facto opus ſit, conſuluerit, & maturè executus fuerit. Eo ſiquidem factô ſemetipſum extrà omnem culpam conſtituet; & Curiæ fidem bonam ac integram conſcientiam ſuam probabit, quem officii ratio, ac neceſſitas, ſi ſententiam vel nullam vel iniquam dixerit, legitimè excuſabit. *l. tutor. ff. De his quib. ut indig.*

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

## CAP. XXXII.

## *De Appellationibus.*

TAmetſi à ſententiis hujus ſupremæ Curiæ non admittatur appellatio, cùm per *Arreſtum* judicet, ac remotâ appellatione pronunciet; nihilominus tamen cum

cùm ab inferioribus atque municipalibus judicibus ad Curiam hanc fiat provocatio; Videndum est, quæ sint *Advocati* partes in eâ introducendâ & exequendâ. Multa siquidem expendenda sunt, ut sciri possit an sit admittenda. Nam nec verus contumax, is nimirum qui citatus & inventus rotundè dicit, se nolle venire, appellans auditur, *l. ex consensu §. fin. ff. de Appellat. l. & post edictum §.* 1. *ff. De judiciis. l. properandum. §. fin. autem. C. De judiciis. Cynus.* nec is qui intrâ decem dies à latâ sententiâ appellationem non interposuit, ut nec is qui intrà triginta dies à latâ sententiâ, non interpositâ appellatione, numerandos (in quo multos errare asserit *Oldendorpius in Tractatu de præscript. cap.* 6. *glossa l. judicibus C. de Appellat. Mynf. Observat.* 36. *Guido Papæ q.* 436.) literas dimissorias, quas practici *Apostolos* appellant, instanter non petierit, Actisque Curiæ inscribi non curaverit, ad appellationem prosequendam admittitur: Quod si verò ab interlocutoriâ provocatum fuerit in scriptis, expressis gravaminum causis, appellatio interponenda erit ex dispositione juris Canonici, *c. cordi c. ut debitus. De Appellat.* quam stylus hujus Curiæ supremæ recepit & observat. Hæc itaque cùm ad appellationem ritè legitimèque interponendam ac introducendam de jure ac formâ requirantur, ad curam ac sollicitudinem *Advocati* pertinet, ut omnibus istis discussis, expendat quid facto sit opus. Si enim aliquid istorum omissum compererit Appellantis *Advocatus*, consultorem ab eâ prosequendâ dehortabitur, frustrà laboraturum, quinimo & in expensas condemnandum: cum paria sint, non appellasse, & non legitimè ap-

pellaſſe. *argumentô l. quoties. ff. Qui ſatiſd. cogantur.* Quod ſi verò omiſſis ſolemnibus, antè relatis, *Appellans* litem perſequendam ſibi arbitrabitur, *Advocatus* appellati per exceptiones legitimas clienti ſuo conſulet, ac appellantem repellet, cujus vel maximè intereſt, ſententiam inferioris judicis ſecundum ſe latam firmam remanere, executioni mandandam. Quòd ſi verò ſententiam inferioris judicis aut per imperitiam aut ſordes gratiàmve prolatam animadverterit *Advocatus* ( neque enim omnes judices *Areopagitæ* ſunt, quod *Dolani Parlamenti Syndicatus*, juſſu *Regis Hiſpaniæ* noſtro tempore cœptus, quatuor conſiliariis ob ſordes ordine motis, ſatis docet ) atque ob id appellationem juſtè interpoſitam proſequendam exequendamque exiſtimaverit, ut reformari, retractari ac reſcindi ſententia poſſit, clientem monere debet, ne quid ex ſolemnibus prædictis omittat. Id enim ſi factum fuerit, ab appellatione excluſus, inſuper in expenſas quoque condemnabitur. Antè omnia verò proſpiciet appellantis *Advocatus*, ut ad diem juridicum, ad ſuam, vel appellati inſtantiam ( quod per anticipationem juxtà hujus Curiæ ſtylum fieri conſuevit) præfinitum, paratus adſit, exemplo ſententiæ à quâ, munitus, ut ſtatim libello exhibito ( debet enim eſſe paratus ) cauſam appellationis introducat. Nam ſi abſens de contumaciâ fuerit accuſatus, appellatio deſerta declaratur, & appellans in expenſas condemnatur, & prior ſententia perinde ac ſi appellatum non fuiſſet, executioni mandatur: Quod ipſum ſtylo Curiæ ſicet durum ſit, receptum eſſe, nemo qui praxin vel à lumine ſalutavit, ignorare poteſt. Cùm tamen Actori

ad

ad præstitutum diem juridicum non comparenti & de contumaciâ accusato, non aliud inferatur gravamen, quàm quod citatione circumductâ novam impetrare cogatur, solutis expensis adversario, antequam admittatur ad agendum in judicio. Quod quidem non aliâ ratione niti credimus, quàm quod rei judicatæ autoritas magna sit in jure, (habetur enim pro verite) quam non temerè convelli publicè quoque interest; Nam & magni *Consilii, cap. Des materies d'appel & dependences, art.* 10. & *Curiæ Hollandiæ artic.* 110. Ordinationibus idem receptum esse reperitur: cum tamen non modici res sit præjudicii, unâ contumaciâ appellationem desertam reddi, ac primam sententiam, licet injustam fortè & nullam, effectum sortiri. Illud autem in hac materiâ disputando moveri videmus, an si appellans dicat, se ad judicem competentem provocare, non expresso ejus nomine, appellatio talis subsistat? Sed cum *Bart. in l.* 1. *in fine ff. hoc tit. l. qui Romæ §. seia ff. De verb. obligat.* absque expressione nominis talem appellationem sufficere resolvat, frustrà laborabit *Advocatus*, si exceptione ita appellantem repellere conetur. Porrò, quod suprà diximus, appellationem ex defectu comparitionis appellantis, de contumaciâ accusati desertam declarari, non semper obtinet. Nam si legitimâ causâ paupertate puta, vel morbo vel aliâ impeditum se fuisse probare possit, quominus ad diem juridicum adesse potuerit, appellationem introducturus, quas impedimenti causas legitimas *Guido Papa, quæst.* 436. *nu.* 109. enumerat, contumaciâ purgatâ, ex clausulâ generali. *Si qua Iusta causa videbitur*, in integrum restituitur. Il-

lud in hac materiâ in dubium vocari solet, an si sententia inferioris judicis plura contineat capitula, ab uno aliquo appellari possit; Et decidunt interpretes, quod talis provocatio admittatur *Innoc. c. dilectus hoc. tit. Bart. in l. appellanti. ff. eod. tit.* Quemadmodum & illud receptum esse tradunt, quod judex inferior, si in expensis victum condemnare omiserit, ab eo admittatur appellatio *l. final. C. Quando provoc. non est necesse. Spec. in Tit. de Appell. §. in quibus. versic. quid si vict.* Reliquas autem quæstiones, quæ in hac *Appellationis* materiâ moveri solent, non est nostri instituti discutere, sed *Tironibus Advocatis*, quibus plerunque ocium suppetit, conquirendas & excutiendas relinquimus: quos tamen monitos volumus, ut in hac instantiâ persequendâ, eâdem fide & integritate versentur, quam in alio processu requiri ostendimus.

---

## Cap. XXXIII.

### De Reauditione.

SUperiore capite diximus, à sententiis hujus supremæ Curiæ appellationem non admitti, sed semel tantum *Revisionis* beneficium impetrari & obtineri posse, si intrà biennium oblatis Curiæ precibus petatur, & observentur ea, quæ sequenti capite describuntur ac comprehensa sunt. Sed cum nonnunquam contingat, *Advocatis* de *Dilationib.* probatoriis, ac executoriis, aliisque quæ incidere solent, in auditorio disceptantibus, Curiæ delegati interlocutione aliquod

quod gravamen inferri, hujus Curiæ ſtylo receptum eſt, ut appellationis loco reauditio peti poſſit, obſervatis ſolemnibus iis, quæ requiruntur. Quorum quidem hæc ſumma eſt, ut nimirum eam petiturus illicò factâ interlocutione, in auditorio petat, ac ipſo facto 25. ſtuferos monetæ currentis in judicio conſignet, atque deponat. Quo facto, relatione per eundem delegatum ſeu *Commiſſarium* ad Curiam factâ, in *Senatum*, *Advocati* qui contenderunt, vocati, rem in pleno conſilio diſputant. Quibus hinc inde auditis, ſi decretum prædictum approbari ac confirmari contingat, 25. ſtuferi conſignati fiſco cedunt: ſin minus reſtituuntur *Advocato*, qui reauditionem petiit. Quæ quidem ſolemnitas Ordinatione Curiæ ultimâ *Novemb.* 1602. promulgatâ comprehenſa eſt, ac *Enchiridio Statutorum* inſerta. Atque hanc reauditionis proponendæ ac exequendæ formulam, in *Curiâ Hollandicâ* quoque ſervari deprehendimus ex ordinationibus ejuſdem Curiæ 9. *Maii* 1521. promulgatis, *artic.* 50. Tametſi autem in magno *Conſilio* apud *Mechliniam* quoque receptam eſſe ex ordinationibus prædicti *Parlamenti* conſpexerimus, 8. *Auguſti* 1559. publicatis, ſub *Rubricâ Stil & maniere de proceder & l'ordre que l'on tiendra aut rolle*, *artic. x.* non tamen reauditionis ſed appellationis voce deſcribitur atque refertur. Quod autem antè diximus, ilico reauditionem petendam eſſe, uſque adeò in *Curiâ Hollandicâ* obtinet, ut ſtatutum ſit, interlocutionem Delegati (*appointement* Galli vocant) ratam firmamque manere, niſi durante auditorio, aut antequam alia cauſarum fiat præſentatio, ſeu recitatio, reauditio petatur & perficiatur. Nos

dum

dum in praxi versati sumus, semel tantum ab *Advocato* adversarii clientis nostri, reauditionem petitam fuisse recordamur, sed approbatâ *Delegati* interlocutione, consignata pecunia prædicta fisco cessit. Sed cum rarò imò rarissimè ista petatur reauditio, *Advocatis* consimilem ferè eventum pertimescentibus, non est necesse huic materiæ diutiùs immorari.

---

## Cap. XXXIV.

### *De Revisione impetrandâ & exequendâ.*

MAjores nostri summâ sapientiâ & prudentiâ præditi, cum non ignorarent, *Frisios* suos naturâ ad dissensiones litesque propensos esse, præsertim animis illorum ex præteritis factionibus ac bellicis tumultibus adhuc efferatis, nec ad tranquillitatem omninò reductis, cum *Imperatore Carolo Quinto* certis conditionibus transactione celebratâ, anno *Christiano* 1524. inter cætera illud supplices petiverunt ac obtinuerunt, ne in civilibus causis ulla extrà hanc *Provinciam* admitteretur *Appellatio*, sed ut illius loco semel *Revisionis* beneficium certis quibusdam conditionibus impetrare concederetur *Frisiis*, qui per sententiam supremæ hujus Curiæ se læsos questuri esent: Quod *Hollandis* aliisque quibusdam *Provinciis Belgicis* permissum non est, ad magnum *Senatum Mechliniæ* provocantibus. Cum itaque omnes ferè judicii praxisque forensis partes ac membra tractaverimus, ordo seriesque tractationis nostræ postulare videtur, ut

NB

ut de *Reviſione* quoque diſſeramus, & quod ſit *Advocati* ſolertis in eâ ritè impetrandâ exequendaque officium, breviter explicemus. Quæ quidem *Reviſio* licet non in omnibus ab *Appellatione* diſcrepet, quod idem ſit utriuſque ſcopus, ut nimirum prior ſententia definitiva reformari, atque error illius corrigi poſſit, in multis tamen, imò pleriſque tanta eſt differentia, ut in formâ introducendi exequendique nihil commune habeant. Nam nec intrà decem dies impetrare ac interponere, nec intrà triginta dies *Apoſtolos* petere ac Curiæ intimare (quod in *Appellatione* fieri debere neceſſariò, antè diximus) neceſſe eſt, ſed ſatis eſt, ſi intrà biennium à latâ ſententiâ, libello ſupplici Curiæ porrecto, citatio petatur, quâ adverſario, ad certum diem in jus vocato, cauſa *Reviſionis* introducitur. Sed cum id non ſimpliciter procedat, ſed pro formâ eſſentiali requiratur, ut cauſa quingentorum aureorum *Carolinorum* ſummam excedat, ac deinde ut die juridico conſignatis in auditorio aureis quinquaginta ejuſdem valoris, ſi ſententia reformata fuerit, reſtituendis, ſin minus, ærario publico inferendis, oretenus proponantur, ac libello protinus tradendo deducatur, ſubjectâ concluſione, ut proceſſus revideatur atque error ſententiæ corrigatur; Ad quem libellum pars adverſa intrà tempus præfixum reſpondere in ſcriptis tenetur, adductis propoſitiſque argumentis rationibuſque ad confirmandam ſententiam facientibus, ac biformi ſumptâ concluſione contendere, ut Actor in reviſione declaretur non admittendus, aut ſi admittendus ſit, per ſententiam Curiæ non eſſe gravatum. Quæ quidem omnia cùm ſint de

 for-

formâ ſpecificâ obſervanda; mordicuſque peragenda *Reviſionem* petenti, circumſpecti erit *Advocati*, qui iſtam *Reviſionis* cauſam tractandam ſuſcepit, proſpicere & procurare, ne quid ex iſtis ſolemnibus ullatenus omittatur: qui ſcire debet, actum in formâ peccantem, ipſo jure nullum eſſe. *l.* 1. §. 1. *ibi DD. ff. De verb. oblig. Bald. in l. ult. C. de ſuis & legit. l. cert. forma. C. de jure fiſci. Weſenb. conſ.* 1. *nu.* 9. Quod enim cum ſolemnitate requiſitâ non ſit, nulliter fieri dicitur, cùm ſolemnitas ſit forma Actus individua; quâ deſtructâ, etiam in minimis actio tota deſtruitur. Neque enim formæ quicquam addi detrahive poteſt. *Roland. à Valle conſ.* 43. *Menoch. conſ.* 73. *nu.* 7. *Burſatus conſ.* 73. *nu.* 23. Adeò ut ne per æquipollens quidem adimpleri poſſit. *Peckius ad reg. juris Can. reg. x.* Ad hæc cum *Imperatorio* indulto expreſsè cautum ſit, non alia facta quam quæ in priori inſtantiâ propoſita fuerunt, in cauſâ *Reviſionis* proponi ac narrari poſſe (quod in *Appellatione* ſecus eſt, in quâ non allegatum allegari & non probatum probari poteſt) & ſi propoſita fuerint, eorum nullam rationem haberi debere, *Advocatus* actoris operam dabit, ne quid ipſemet tale faciat, & Adverſarium nova facta allegantem ſine proteſtatione admittat, ſed judicibus reviſionis ea demonſtrare in ſcriptis debet, ſi quæ inſerta deprehenderit. Neque verò hoc loco monendos *Advocatos* actorum arbitramur, quàm ſit periculoſum, quantique res præjudicii, ſi ad diem præfixum non adfuerint, cauſam reviſionis introducturi; Cum Actor abſque legitimâ causâ abſens de contumaciâ accuſatus, reviſione excludatur, inſuper

Differentia principalis inter Appellationem et Revisionem:

Quænam pœna Actoris Revisionis, si abfuerit et de contumacia sit accusatus:

pœnæ nomine octo aureos justi ponderis soluturus, aliasque expensas omnes: Reus verò si contumaciter abfuerit, id fert incommodi, quòd nihil ad libellum Actoris respondere permittatur, aut illius contenta refutare. Cujus tamen eô melior est conditio quàm Actoris, quòd per juris allegationes sibi prospicere postmodum queat; ita tamen, ne ullam moram processui injiciat, qui pœnæ nomine quatuor aureos ejusdem valoris ob contumaciam solvere cogitur. Ad hæc, cum ultra duplicationem absque expressâ Curiæ permissione scribere non concedatur, utriusque partis *Advocati* adlaborabunt, ut in *Replicatione*, duplicatione que, omnia causæ merita coplectantur, quibus se victoriam consecuturos existimant, ne si hac parte omissum quid fuerit, *Advocatum* cliens meritò incusare queat, si infelicem causa eventum sortita fuerit. Quoniam autem *Imperatoris Placito* id quoque cautum reperitur, ut revisione interpositâ non obstante, sententia Curiæ legitimæ executioni mandetur, quod in *Appellatione* secus est (quâ interpositâ, nihil innovatur, quamdiu de appellatione pronunciatum non erit, *Tit. ff. Nihil novari appell. interposita.*) remedium est ad impediendam executionem, ut victus intrà decem dies à latâ sententiâ libellum supplicem Curiæ offerat. Eo siquidem exhibito, sententia prior non aliter executioni mandatur, quam si victor dignam fidejussionem præbuerit, tantum restituendi cum legitimis augmentis, quantum est in condemnatione si legitimâ retractatione sententia resolvatur. Quòd si intrà decem dies factum non fuerit, executio sine fidejussione procedet. Quòd remedium suppeditat

*Auth. quæ ſupplicatio*: C. *De precibus Imper. offerendis*, quæ, licet *Præfecti* Prætorio mentionem faciat, ac ob id de illius tantùm ſententiâ accipienda videatur, nihil tamen obſtare arbitramur, quominus ad hujus ſupremæ Curiæ ſententiam, quæ per arreſtum & appellatione remotâ judicat, non ſecus quàm *Præfectus* Prætorio, trahi poſſit, præſertim cùm dicta *Auth.* conſiliariorum quoque meminerit. *Guido Papæ deciſ.* 50. certè ſententias Curiæ *Parlamenti Delphinatus*, per arreſtum judicantis, ſententiis *Præfecti* Prætorio æquiparare videtur. Interim tamen, cum in causâ quadam reviſionis, quæ in hac ſupremâ Curiâ indeciſa pendet, oblato intrà decem dies ſupplici libello, nullâ præſtitâ cautione fidejuſſoriâ, executionem ſententiæ impedire nequiverim, dubitare cœpi, an Auth. prædicta in *Placito Imperatoris* quoque locum habeat. Quæſtio equidem digna quæ partibus in contradictorio auditis, ſententiâ Curiæ decidatur; Neque enim quiſquam eſt, qui neſciat, condemnati quàm plurimum intereſſe, executionem ſententiæ, abſque tali fidejuſſione, ſuſpendi, præſertim ſi victori bona immobilia in *Provinciâ* hac non poſſidenti, quantitas pecuniaria quingentis carolinis aureis major adjudicata fuerit. Eo ſiquidem caſu condemnatus, ſi ſententiam per judices reviſionis reformari contingeret, ſolutâ pecuniâ adjudicatâ, fruſtrà illius ſententiæ magnis ſumptibus moleſtiiſque obtentæ, executionem poſtmodum urgeret, inopiâ vel fugâ adverſarii ſecluſus. Veruntamen, cùm *Guido Papæ* in deciſionibus ſuis, Curiæ *Parlamenti* deciſione reſolutum referat, hoc caſu cautionem etiam jurato-

ratoriam ſufficere, ſi victor diligentiam ſe adhibuiſſe & fidejuſſorem invenire non potuiſſe, jurejurando affirmare paratus ſit, victum ab executione prioris ſententiæ iſta oppoſitio ægrè tuebitur. Ex iis autem quæ antè relata ſunt de indulto *Imperatoris*, decidi poſſe videtur quæſtio, ab interpretibus diſputata, an reviſio reviſionis peti poſſit. Nam cum expreſſis verbis *Imper.* ſemel tantum reviſionem peti conceſſerit, concludendum videtur, negativam partem tenendam eſſe, quam & in magno conſilio ſervari & ordinationibus dicti *Parlamenti* gallicè publicatis *Tit. de propoſition d'erreur & reviſion.* cognovimus.

---

## Cap. XXXV.

## *De executione rei judicatæ.*

Tametſi primâ fronte dici poſſe videatur, lite per definitivam ſententiam decisâ, nullas amplius eſſe partes *Advocati*, quòd nimirum rei judicatæ executio, ſi liquida non ſit ſententia, vel apparitoribus demandari ſoleat: Nihilominus tamen, cum varia incidant, quæ executionem remorentur, atque impediant, & ſæpè in ipsâ executione ab iis quibus commiſſa eſt, contrà formam, jure ſcripto & ſtylo Curiæ præſcriptam, peccetur; à quibus exceſſibus & gravaminibus ex juſtâ causâ ad ſuperiorem committentis appellari poteſt, expreſſis in appellatione cauſis, propter quas provocetur. *Spec. De exec. ſent. §. nunc. demum n. 9. Bart. L. ab executore, De Apell.* Exi-

ſtimamus ad *Advocati* officium quoque pertinere, iſtis caſibus condemnato clienti opem conſiliumque præbere, ne injurioſâ aut nimis damnoſâ executione, quod non rarò fieri comperimus, eum gravari contingat. Erunt ergò partes *Advocati*, qui condemnato patrocinium præſtitit, primum mandatum executionis (*Executoriales* vocant) inſpicere atque diligenter examinare, quid & quantum illi commiſſum ſit, an & tenori ſententiæ reſpondeat. Deinde, an alii, quàm loci ordinario, executio mandata ſit, contra doctrinam *Bart. in l. à Divo Pio. §. ſententiam, ff. de re judicat*. Et an executio contrà conſuetudinem ac ſtylum Curiæ, *Enchiridio Statutorum* inſertum fiat; quâ non ſervatâ, æquè appellari poteſt, ac ſi contrà jus fieret, veluti ſi proclamationes factæ non ſint debitô loco & tempore, & per eos, per quos fieri debent. Hæc, inquam, ſi incidant, ſupplicî libellô Curiæ porrectô, ut tota executio ſuſpendatur, precabitur & procurabit. Adhæc, cum de iniquitate executionis vertitur quæſtio, ad ſuperiorem committentis executionem provocabit. *l. ab executione. verbo Appellat. ſuſpenſâ §. quorum appellat. Panor c. quod ad conſtitutionem. de ſentent. & re judic.* Quòd ſi minus ritè procedit executor, aut extrà officium quid facit, poteſt illi licitè reſiſti, ut & tunc, quando petenti ordinario literas ſuæ commiſſionis exhibere noluit, ut ille meritò cogitare potuerit, illum tale mandatum, quale jactabat, non habere, *l. fin. D. Mandati. l. prohibitum. C. de jure Fiſci, lib.* 10. Atque tali executori ab omnibus, quorum intereſt reſiſti poteſt. *Felyn. & Canon. in c. conſtitutus de præſcriptis.*

*An-*

*Andreas post Hostiensem in c. significan. de Constitut. Bart. Jason & cæteri DD. in l. justè de acquir. posse.* Jam verò cum in executione, jure scripto ordo statutus sit, *in l. à Divo Pio. §. in venditione. De re judicat.* Ut nimirum primo loco mobilia & animalia, secundo immobilia, tertio nomina distrahantur; quæri solet, utrum iste ordo mordicus servandus sit, ita ut si inverso ordine prædicto capiantur pignora, executio reddatur nulla. Sunt qui affirmativam partem tuentur, contendentes, necessariò istum ordinem, tanquam à lege præscriptum, observandum esse, ut *Raphael Cuman. Alexan.* & alii. Sed *Bartolus* & alii determinant, non usque adeò istum ordinem necessarium esse, quin actus, illo non servato, sit aliquis, & non nullus, quam sententiam & consuetudo, optimus legum interpres confirmat. Nam in *Frisiâ* patriâ nostrâ, ille ordo non servatur, sed juxtà ipsius condemnati arbitrium & electionem distrahuntur ea, quæ ille distrahi jusserit & designaverit. Usque adeò quidem, ut apparitores, irrequisito condemnato, si sui copiam fecerit, pignora non capiant. Quòd si apparitori voluntatem suam ac electionem declarare recusaverit, aut in contemptum justitiæ ea capere pignora jusserit condemnatus, quæ ipsius non sunt, aut usque adeò vilia pravique pretii, ut victori nullo modo iis distractis satisfieri possit, credimus, victori permissum esse pignora demonstrare apparitori, ut ea in causam judicati accipiat atque divendat, quod sæpè fieri solet: Consultius tamen facturum victorem arbitramur, si precibus Curiæ oblatis, quæ suprà dicta sunt, significaverit, ac ejus consensu atque permissione

one id fecerit : Quod enim authore judice ſit, juſtè fieri cenſetur. Ut autem omnia legitimè fiant ac perficiantur debito modo, ac juxtà Curiæ Ordinationem, *Apparitoribus* vel aliis executoribus præſcriptam, providendum eſt, ne condemnatus conqueri poſſit, injuriam ſibi fieri: Neque enim juris executio injuriam continere debet. *arg. l. meminerint, C. unde vi.* Illud ſuperioribus addendum exiſtimamus, quod etiamſi ordo in executione à *d. l. Divo Pio §. in venditione*, in venditione præſcriptus mordicus ſervandus non ſit, ut ex *Bart*. ſententiâ concluſit *Zazius*, nihilominus tamen quodam temperamento executionis rigor & acerbitas mitiganda & lenienda eſt, & ea diſcretione ii, quibus demandata eſt executio rei judicatæ, uti debent, ut ſi mobilia capienda & diſtrahenda ſint, ea primo loco vendantur, quæ plus gravant impendio, id eſt ſumptu, quam augeant fructibus; Ita ſentit *Raph. Cumanus*, qui tamen eam limitationem addit, ut id fiat, ſi iſta parum utilia mobilia celerem & expeditam habeant executionem: Alioqui enim ab iis incipiendum eſse mobilibus dicit idem *Cumanus*, quæ commodius poſsunt diſtrahi, quo celerius ſolvi poſſit victori, per elegantem textum *§. ſed. & illud d. l. à Divo Pio.* Ac proinde primum quærenda eſt parata pecunia, quâ deficiente, mediocriter pretioſa mobilia, quibus carere facilius poteſt condemnatus, dummodo in iis expedita ſit executio. Tertio loco ad animalia: Ultimo ad aurea & argentea vaſa & pretioſam ſupellectilem veniendum eſt. Quibus omnibus deficientibus, tandem ad bonorum immobilium diſtractionem procedendum; ita tamen ut à minus pretio-

ſis

ſis fiat initium, quod *Zazius*, *ad §. in venditione d. l à Divo Pio* temperamentum civile vocat. Quòd ſi nec ea extent, ad incorporalia jura, id eſt nomina debitorum veniendum: *l. ordo. C. de exec. rei judic.* Atque hic ordo ſervari debet, ſaltem de honeſtate & civilitate. Eſt enim iſtiuſmodi condemnatis, qui facultatibus lapſi, ac ſine ſuâ culpâ ad inopiam redacti, bonorum ſuorum diſtractionem, per ſubhaſtationem, horridâ executoris voce, ferre coguntur, commiſerandum, & quatenus ſine juſtitiæ læſione fieri poteſt, quoque parcendum, ne afflictis addatur afflictio. Quidam certè reperiuntur apparitores ita duri, inhumani, ac cerebroſi, ut invidioſum iſtud executionis mandatum peracturi, disjectis & ablatis lectis, lineiſque veſtibus aliiſque utenſilibus, quibus ad vitam tranſigendam condemnati carere non poſſunt, vix à perſonali & reali injuriâ ſe contineant: quo ipſo certè, graviſſimè in legem charitatis peccant. Sed illud merito quæri poteſt, an in cauſam judicati animalia abſque diſtinctione capi & diſtrahi poſſint, *Textus §. In venditione*, abſque ullâ differentiâ animalia pignori capi jubet: Nihilominus tamen cum mica ſalis id accipiendum arbitramur, ut nimirum ad illa animalia prædicta verba referantur, quæ ad culturam agrorum non ſunt neceſſaria; Jure enim cautum reperitur, boves aratorios ac inſtrumenta ruſtica pignoris causâ de poſſeſſionibus abſtrahenda non eſſe, & rationem addit *Imper. Conſtantinus*, *in l. executores. C. quæ res pign. oblig. poſſunt vel non.* ne illis divenditis, tributorum retardetur illatio, quod & *Imperatores Honorius & Theodoſius in l. pignorum C. eod. tit.* confirmant,

6°

Quæstio

Resp:

Hæc procedunt si condemnatus alia bona habeat et dictis fol: resp: ita.

indefinitè ſtatuentes, pignorum gratiâ aliquid, quod ad culturam agri pertinet, non eſſe auferendum, id quod & *Frederici* conſtitutio prohibet, *Auth. Agricultores C. eod. tit.* Quæ quidem omnia procedunt, ſi condemnatus alia bona habeat: Alioqui enim & illa diſtrahenda ſunt; juxta gloſſam *in d. l. executores*, *allegantem l. ſtipendia. C. de execut. rei judic.* Hæc ergo atque his ſimilia *Advocatus* comdemnati conſiderabit, & ſi quid ab Apparitoribus in exequendo peccatum cognoverit, precibus Curiæ oblatis, procurabit, ut illorum duritia & inquitas præcepto ejuſdem Curiæ coërceatur & corrigatur. Idem quoque facere debet *Advocatus* victoris, ſi apparitorem cum condemnato, ſui compendii gratiâ, factâ colluſione executionem differe atque protrahere deprehenderit, quod non raro fieri teſtari poſſunt ii, qui in foro verſantur. Illud autem pro colophone adjiciendum: *Advocati* quoque munus eſſe, ut clientem ſuum condemnatum admoneat, ne executioni ullatenus reſiſtat, neve injuriam verbalem aut realem Apparitori inferat, cùm id ſine periculo fieri nequeat. Vidimus enim nos ejus rei exemplum, ante multos annos in quodam ruſtico ſylvano, qui quod Iuridico (*Grietmannum* vocant) ſententiam exequenti manus intuliſſet, in arcem, nunc dejectam, captivus adductus & poſt diuturnum carcerem, magnâ pecuniæ ſummâ mulctatus fuit, & inſuper, ad perpetuam rei memoriam in Curiâ, brachium cum pugno, cum inſcriptione parieti infixum fuit, quod omnium oculis ſubjectum etiamnum extat. Perinde enim habetur, ac ſi Iudicem ipſum affeciſſet injuriâ, cujus miniſtrum apparitorem

NB

læſit.

læſit. Porro nec illud omittendum: ad *Advocati* officium, qui victori patrocinium præſtitit, quoque pertinere, ut ſi contrà venditionem pignorum, ab executore factam, vel ab ipſo condemnato, vel à tertio aliquo jus aliquod prætendente, fiat oppoſitio, lis ſuper ea mota, octidui termino, Curiæ Ordinatione in ſingulas ſcripturas præfixo, conſtringatur, cùm victoris interſit, quam celerrimè iſtas oppoſitionum lites terminari, ut pecunias tandem ex venditione redactas nanciſci poſſit. Condemnati verò *Advocatus*, ſi frivolas illius oppoſitiones animadverterit, monebit clientem ſuum, ut à lite perſequendâ deſiſtat, ne poſtmodum per ſententiam rejectis iis, in expenſas quoque condemnetur. Neque enim ignorant ii, qui litibus exercendis dant operam, ſæpè iſtiuſmodi oppoſitiones ab ipſis quoque condemnatis, executionis differendæ causâ fieri, cum incommodo plerunque victoris, qui pecuniis interdum ſummoperè opus habet. Poſtremò cùm quotidianâ experientiâ deprehendant *Advocati*, apparitores maximis plerunque ſumptibus, pignorum venditiones in œnopoliis, pluribus ſæpè dilationibus ſuſpenſas, celebrare, quo fit, ut emptores iſtis ſumptibus territi, rariores inveniantur, maximo condemnatorum miſerorum damno & præjudicio: illorum officium erit proſpicere, ne tale quid fiat, precibuſque Curiæ oblatis, ei rei modum ſtatui procurabunt, certâ aliquâ ſummâ præſcriptâ, quam Apparitori excedere non liceat. Cujus in exigendo ſalario avaritiam, & inhumanitatem ſimili quoque modo refrenari curabunt: Sunt enim iſtiuſmodi condemnatorum querelæ frequentiſſimæ, quibus Curiæ taxatione

tione ac moderatione remedium eſt adhibendum: Summatim, in his litibus cauſiſque tractandis, ita verſabuntur *Advocati* & victoris & victi, ne contrà Curiæ præſcriptum, contrà juris formam, forique hujus conſuetudinem, contrà bonam fidem, ab apparitoribus vel ſemetipſis quidquam admittatur, ſed ut omnibus dolis, fraudibus, colluſionibuſque præcluſis & ſemotis, ſententia cum prædicto temperamento tandem executioni mandari, & eâ viâ unicuique, quod ſuum eſt, tribui atque exſolvi, ac omnis vis & injuria reprimi, averti, atque coërceri queat, quô ſolo hominum inter ſe ſocietas & amicitia, rerumpub. pax, tranquillitas, & concordia, arctiſſimum atque optimum incolumitatis vinculum, velut ſarta tecta manere queant, eo quòd pace illâ fractâ, divulsâ, conturbatâ, res privatorum ſalvæ & in tuto eſſe nequaquam poſſint. Quòd autem antè monuimus, proſpiciendum eſſe, & apparitoribus & *Advocatis* condemnati atque victoris, ut executio & pignorum præſertim immobilium venditio, debito modo ac ſervatâ juris ſcripti ſtylique formâ, fiat atque peragatur, non caret ratione, quinimo & ſumma cautela adhibenda eſt, ne ſi poſteà peccatum aliquâ parte deprehendatur, venditione per Decretum Curiæ factâ, reſciſſâ ac retractatâ, emptor præter moleſtias magnas, ingens quoque damnum accipiat, prout contigiſſe ex duabus hujus ſupremæ Curiæ ſententiis *anno* 1603. & 1604 prolatis, conſpeximus.

CAP.

## Cap. XXXVI.

## *De literis dilationum quæ Belgicâ Linguâ* **Brieven van respijt**/ *vocantur, vulgò Quinquennales dicuntur, & Diplomata moratoria appellari possunt.*

COnsueverunt plerunque ii qui condemnati sunt, ac executionem metuunt & quandoque ante condemnationem ære alieno gravati, ex consilio *Advocati Diploma* moratorium à *Principe* impetrare. Solet autem *Princeps* istiusmodi hominibus obæratis, ac æris explicandi ratione destitutis, ut plurimum quinquennales inducias indulgere; Unde & quinquennales vulgo nuncupantur, teste *Guidone Papæ*, *q*. 57. ad eum finem, ne creditorum duritiâ ad carceres adigantur, quod durum est. Sed cùm istud beneficium certis quibusdam conditionibus concedatur, *Advocati* cauti erit; clienti suo salutare consilium suppeditare, quo effectus illius votique sui compos reddatur. Quod ut obtineat, & consequatur, summariè, ac attestationibus sufficientibus docere debet, se citrà culpam suam facultatibus lapsum, tantum æris alieni contraxisse. *l. quoties L. universa. C. de precib. Imp. offer. Azo in summâ d. tit. Old. ibidem.* Deinde impetratis prædictis literis, curabit, ut omnibus creditoribus ad Curiam vocatis; debitis solemnitatibus adhibitis, intimentur, & cautionem & literas in judicio

 offerent;

offerent; Et quidem intrà menſem à die impetrationis, non verò præſentationis numerandum, alioqui fructu effectuque earum cariturus, *ut refert Guido Papæ, q. 109. dicens, ſtylô Parlamenti Delph. ita ſervari.* Neque verò quælibet ſufficit cautio, ſed iſtiuſmodi exigitur, quam creditores admittere tenentur: Quibus tamen eam ut inidoneam rejicere ac refutare permittitur. Quo caſu partibus in contradictorio auditis, ſummariâ cognitione res definitur. Ad quam cautionis inſufficientiam probandam, menſis ſpacium utrique parti, *Imperatoris Placito* 21. *Octobris* 1541. publicato, *artic.* 34. præfinitum eſt: intra quem, niſi creditor cautionem à debitore oblatam inſufficientem probaverit, pro idoneâ reputabitur. Atque hæc quæ relata ſunt, *Advocatus* ejus qui literas impetravit, fieri ac obſervari procurabit, ne cliens prædicto beneficio excluſus, rigidis creditorum ſuorum exactionibus, executionibuſque objiciatur, ac pateat. Quam quidem cautionis ſufficientis præſtationem uſque adeò prædictum *Placitum* requirit, ut, licet maxima creditorum pars, cum debitore pactione initâ, aut remiſſionem partis debiti, aut dilationem conceſſerit, reliqui tamen creditores conſentire, eorumque pactioni accedere non cogantur, niſi ſufficienti cautione præſtitâ, quod *artic.* 35. *prædicti Placiti* requiritur. Illud præcedentibus quoque adjiciendum, quod major pars creditorum, non perſonarum numerô, ſed debiti cumulo definiatur, *l. jurisgentium. §. hodie. ff. De Pactis l. majorem. eod. tit.* Et ita *Ulpianus*; *Prætorem*, ſi creditores diſſentiant, partes ſuas interponere, & majoris partis conſenſum, ex cumulo debiti æſti-

NB

Major pars creditorum quonam modo accipienda:

æſtimandum, ſequi debere decidit; quod textus *d. l. majorem.* latius explicat. Quæ tamen non ſimpliciter neque indiſtinctè procedunt, ac in quibuſlibet creditoribus locum habent, ſed iis ſolum, qui hypothecas habent: Eos ſiquidem minor pars in concedendâ partis debiti remiſſione ſequi tenetur. *Matth. de Afflictis, deciſ.* 288. Quod ſi verò minor pars hypothecas habeat, majorem partem creditorum, ex cumulo debiti, hypothecis carentem, ſequi non tenetur: Secus vero eſt in dilatione ſolâ concedendâ: Eô ſiquidem caſu, cum minus vertatur præjudicium, minor pars hypothecariorum creditorum, majorem partem, ex cumulo debiti æſtimandam, etiam ſi hypothecas non habeant, ſequi tenetur *d. deciſ.* 188. Secus foret, ſi major pars totum debitum remittere vellet. tunc enim minor pars majorem ſequi non cogitur, quod *Matth. de Afflictis movet.* Prædictis autem & illud addendum arbitramur, ut ſi ſuper intimatione literarum dictarum quæſtio incidat, termino octidui, ſcripturis tradendis præſtituto, ad Duplicationem incluſivè lis peragetur; quod Ordinatione *Enchiridio Statutorum* inſertâ quoque cautum eſt.

---

## CAP. XXXVII.

## *De Beneficio Inventarii.*

CUm iis qui in praxi hujus ſupremæ Curiæ verſantur notiſſimum ſit, duris hiſce temporibus permultos inter nobiles & plebejos reperiri, qui variis ex

ex causis ære alieno gravati, dubias relinquunt hæreditates, quas tum testamentarii, tum ab intestato hæredes purè adire verentur, ac ob id sæpè deliberatione initâ, sub inventarii beneficio adeundas censent, ut indemnes maneant, & illud certis quibusdam conditionibus ac restrictionibus impetrandum exequendumque veniat, ad *Advocati* quoque officium pertinere arbitramur, ut si hæc difficultas ab aliquo proposita fuerit, cautè atque circumspectè eam sibi tractandam eixstimet. Ut autem clientem extrà omne periculum constituat *Advocatus*, monere illum debet, ne ullo modo hæreditati suspectæ se immisceat, aut minimam rem hæreditatis sibi applicet. Eô siquidem probatô, frustrà de beneficio inventarii impetrando laborabit, pro puro hærede reputandus. Quod si nihil tale hæredi futuro imputari atque objici possit, secunda cura erit, diligenter expiscari, an quisquam sit ex cognatione & familiâ defuncti, qui purè hæreditatem adire velit, aut adiverit: Si enim quisquam sit qui id fecit, aut facere paratus sit, non est quod de beneficio prædicto impetrando consilium ineat; cum ei de jure hæreditas debeatur, qui honori defuncti prospectum consultumque voluit, cujus interest, purum habere hæredem, & non sub beneficio inventarii adeuntem. Quod si nemo fuerit, qui se periculo subjicere atque exponere volet, tum demum precibus Curiæ oblatis prædictum beneficium impetrare conabitur; Eôque factô, curabit, ut per apparitorem Curiæ duobus testibus adhibitis, omnium tum mobilium tum immobilium, nec non nominum repertorium intrà quadraginta dies ab impetrato beneficio numeran-

randos, conficiatur. Quô repertoriô ita ſolemniter confectô, curabit *Advocatus*, ut mobilia ab iis, qui periti ſunt, & à *Magiſtratu* loci, ubi hæreditas ſita eſt, ad eam rem deputati ſunt, præſtito jurejurando æſtimentur, eâque factâ, datis pro eorum pretio fidejuſſoribus, cavebit, ac prædicta bona diligenter ſolliciteque aſſervaturum, ac creditoribus legatariiſque ſe ſoluturum, nullâ interjectâ morâ, pollicebitur. Nec poterit iſtiuſmodi hæres liquidorum debitorum ſolutionem, illiquidorum occaſione, ſuper quibus lis movetur, ad illius uſque deciſionem protrahere. Quæ quidem ſolutio non aliter facienda erit, niſi cautionem præſtet is, qui pecuniam recipit, ſe pro rata ejus, quod ex bonis defuncti redigi nequit, reſtitutionem eſſe facturum. Atque hæc quidem omnia *Placito Imperatoris*, 21. *Octobris* 1541. promulgato, *artic.* 39. *Enchiridio Statutorum* inſerto, uſque adeò requiruntur, ut ſi is, qui prædictum beneficium impetravit, iis omiſſis, aliquid ex bonis defuncti contrectaverit, prædicto beneficio excluſus, ut purus hæres omnibus debitis hæreditariis, ultrà vires facultatum exſolvendis, ſubjiciatur: quod & ſententiâ Curiæ, 27. *Octobris anno* 1590. latâ, comprobatum & deciſum fuit. Hæc omnia quæ relata ſunt, cum tanquam ſolemnitates formales requiſitæ, omitti nequeant, proſpicere debet *Advocatus*, ut ea omnia ad unguem obſerventur, ne cliens habeat in quo *Advocatum* incuſare poſſit. Illud verò omittendum minimè fuit, quòd prædictum beneficium vocatis quoque creditoribus, juxta ſtylum Curiæ apud acta ſit profitendum, & ſi controverſiam à creditoribus mo-

R ve-

veri contingat, octidui terminum, & Duplicationem excedere non permitti, quod & *Enchiridio Statutorum* inserto *Placito*, *artic*. 29. comprehensum reperitur. Quoniam autem nostri instituti non est, omnes quæstionis ad hanc materiam pertinentes discutere, prædictis contenti finem imponimus.

---

## Cap. XXXVIII.

## *De Beneficio Cessionis bonorum, & quid in eo impetrando exequendoque Advocatus agere debeat.*

SUperiori capite de iis quæ rei judicatæ executionem spectant, quæque ab eâ dependent, pertractavimus. Jam vero cum inopia debitorum efficiat, ut duritiâ obtortô sæpè collô ad carceres detrudantur, ibique victu quàm tenuissimo habeantur, usque adeò, ut tandem carceris fastidiô macerati, aliquam exsolvendi debiti rationem viamque inveniant, quod sæpè quoque fieri videmus, cognatis affinibusque proximis commiseratione ductis, & certis conditionibus solutionem debiti in se suscipientibus: Aliis verò omni humanâ ope destitutis in squalore carceris contabescentibus. Videndum restat, quo remedio istam incarcerationis, ut vocant, miseriam evadere debitores queant. Et certum est, omnibusque in foro versantibus exploratum, jure civili proditum esse cessionis bonorum beneficium, quod *Imp. Iustinianus l. pen. & ult.*

*& ult. C. Qui bonis cedere poss.* flebile adjutorium, & miserabile vocat auxilium. Et auxilium quidem meritò: neque enim in hac vitâ major excogitari miseria potest, quàm nuditate & inopiâ ad eum redigi casum, ut bonis cedere, creditoribusque ea dimittere quis cogatur. Sed cum istud beneficium, non semper nec passim, nec simpliciter omnibus indulgendum prædictus *Imperat.* censeat, & posterioribus temporibus crescente hominum malitiâ, restringere ac limitare certis quibusdam conditionibus necesse fuerit, ut nisi iis pareat, prædicto beneficio indignus habeatur bonis cedens: Videndum est, *Advocati*, qui condemnato patrocinium præstitit in hoc beneficio ritè legitimeque impetrando & exequendo, quæ sint partes, quod officium. Et ante omnia quidem providere & prospicere debet, ut cautè in hoc versetur negocio, ne quid omittat ex solemnibus *Imp. Caroli Quinti Constitutione Placitoque A.* 1541. 21. *Octob.* publicato, expressis ac requisitis. Si enim aliquid factum fuerit, vel omissum, quod fieri vel omitti non debuit, debitor qui ad flebile illud confugit auxilium, prædictô beneficiô seclusus, vitam ipse morte duriorem degere cogetur. Ne autem in istas redigatur difficultates & angustias bonis cedens, ex *Advocati* sui consilio literas seu *Diploma* cessionis, unà cum omnium bonorum suorum repertorio, (inventarium vocant practici) jurejurando firmato, intrà mensem à die impetrationis numerandum, ipsemet aperto capite; discinctusque in judicio offerre & exhibere, ac bonis suis nullâ eorum administratione sibi reservatâ atque retentâ, creditoribus ad id vocatis permissis at-

Quid in hac materia bonis cedenti attendendum?

que concessis, ut *Actis Curiæ* prædictum beneficium intimetur insinueturque, petere & contendere debet. Quod si creditores præsentes consensum adhibuerint, aut absentes de contumaciâ accusati & ab oppositione seclusi fuerint, res in vado est: sin contradicendum arbitrabuntur, curabit *Advocatus*, ut à *Iudice* delegato seu *Commissario*, ad contradictiones oppositionesque inferendas præfixo termino, partibus hinc inde auditis, res judiciali cognitione terminari quàm citissimè possit. Neque verò ea, quæ antè relata sunt, à creditorum vinculo debitores plenè liberant, sed requiritur quoque ut, si ad pinguiorem fortunam pervenientes alia bona adquisierint, ea quoque ad creditorum suorum utilitatem consignent, atque relaxent, retento solummodò lecto uno cum suis appertinentibus, & ex omni suppellectile, unâ tantùm cujusque speciei particulâ, dummodo nec stannea, nec aurea, vel argentea vasa, vel alicujus pretii alia mobilia utensilia sint. Quidquid autem superest, singulis vicibus, creditorum commodis relinquere atque dimittere tenentur, alioqui effectu prædicti beneficii cArituri. Quod autem antè diximus, prædicto *Cessionis* beneficio debitores à carceris necessitate liberari, non simpliciter procedit, sed eam recipit limitationem & restrictionem, ut ad eos tantum debitores porrigatur, quorum debita instrumentis, *Principis* vel *Consilii* seu *Curiæ*, urbiumque tali privilegio munitarum sigillô confirmatis, comprehensa ac publicè recognita & confessata non sunt. In istiusmodi enim debitis cessio bonorum locum non habet. Quemadmodum nec sententiis, quæ in rem judicatam transiverunt, præ-

di-

dictum beneficium *Cessionis* obstare, aut per exceptionem objici potest, nisi cedens casibus fortuitis, absque culpâ suâ, inopem se factum esse doceat: Quo casu absque omni differentiâ & exceptione, cedens bonis, isthoc gaudere beneficio poterit. Quâ quidem probatione hoc quoque consequitur, ne publicam palo affixus ignominiam subire cogatur, creditoribus nihilominus obligatus, quod nuper *Ordinum Frisiæ Edicto & Ordinatione, publicata ultima Novembris* 1602. Imperatoriæ constitutioni supradictæ additum est, existimantibus prædictis *Ordinibus*, multis in eo genere delicti nunc grassantibus, exemplo opus esse, ut reliquis incutiatur metus, ne facilè fraudandorum creditorum suorum consilium capiant homines, quod hoc ævo longè corruptissimo nimis est frequens, cùm tamen deterrimam turpissimamque quasi furti speciem esse, nemo negare poterit, sub fide & velamine viri boni, & cum jam exploratum habeant, se solvendi debiti, quod contrahunt, facultate destitui, pecunias à proximo mutuo sumere, nunquam restituendas. Erit itaque *Advocati* sagacis munus & officium, prospicere, ne quid suâ negligentiâ, incuriâ, vel inscitiâ clienti suo incommodi periculique adferat in eâ necessitate constituto. Proinde monebit clientem suum, ut debitum ad creditoris instantiam confiteatur rotundè. Neganti enim debitum, beneficium prædictum non datur *l. pen. ff. hoc. tit. gloss. & Dd. in l.* 1. *C. qui bon. ced. poss.* Fateri autem debitum purè clareque debet; omni præcisâ negandi occasione. Sed quærit hic *Bald. in l.* 1. *C. qui bonis ced.* quid de eo sit dicendum, qui in principio debitum negavit, sed post

ſententiam latam pœnitentiâ ductus, confeſſus fuit, & diſtinctione factâ, reſolvit, eum, qui juſtam negandi cauſam habuit, ut puta ſi in jus alterius ſucceſſit, & antè vel poſt latam ſententiam pœnitentiâ ductus faſſus eſt debitum; ad beneficium ceſſionis admittendum eſſe; Eum verò qui in negatione perſeveravit, prædicto beneficio indignum haberi, *Matt. de afflict. deciſ.* 379. quod in odium ſcilicet mendacii ac malæ fidei debitoris ita ſtatutum eſt. Conſimiliter quoque clientem ſuum monebit *Advocatus*, ne quinquennalem dilationem impetrare ſtudeat, niſi certus ſit, iſtâ vertente ſe ſolvere poſſe creditoribus. Nam ſi poſtmodum ſpe ſuâ fruſtratus, facultatem ſolvendi non habeat, à beneficio ceſſionis excluſus, ad carceres pertrahetur, *gloſſa in l. cum ſoluto. in fine. C. quibus bonis ced. quam communiter omnes Dd. ſequuntur. Afflict. deciſ. ccclxxviii.* Sed illud apud interpretes diſputando moveri video, An ceſſionis beneficium impetratum, novis creditoribus aliis ſupervenientibus quoque nocere debeat, ne debitorem in carcere detentum, & beneficio ceſſionis liberatum, in carcere retinere ac confirmare poſſint? Et reſolvit, *Guido Pap. conſ.* 124. bonis cedentem, iis quoque novis creditoribus, non minus, quàm prioribus prædictum ceſſionis beneficium opponere poſſe; rationem addentes, quod videlicet non omnes neceſſario vocandi ſint creditores, ſed ii tantum, qui inſtant, & urgent, & lite pulſant debitorem, ad inſtar confectionis inventarii *arg. l.* 4. *ff. hoc tit. Guido Pap. d. conſ.* 124. *l. fin. §. licentia. C. de jure delib. Salic. l.* 1. *C. qui bonis ced. poſs.* quod omnibus credi-

tori-

toribus, ex poſt facto etiam apparentibus ſufficit. Et hæc quidem omnia procedunt, niſi probatum fuerit, bonis cedentem, ante ceſſionem impetratam, vel bona quædam celaſſe ac ſubtraxiſſe, vel prodigalitate & luxu in fraudem creditorum ſuorum diſſipaſſe ac decoxiſſe. Eô ſiquidem probatô, prædictô beneficiô indignus, in carcerem detrudendus erit. Ita dicit *Petrus Iacobi in tit. de Ceſſione bonor. & Salicet. ad d. l.* 1. *C. qui bon. ced.* Quod & rationem habet: Neque enim quiſquam ex malitiâ ſuâ lucrum ſentire debet: Sed & reipub. intereſt, iſtiuſmodi dolos & fraudes peſſimorum hominum reprimi, præcidi ac coërceri. Neque verò is tantum fructus aut beneficii prædicti commodum eſt, ut nimirum debitor, qui bonis ceſſit, ad carceres detrudi non poſſit, ut antè probatum eſt; Sed & illud operatur, ut ſi ad pinguiorem aliquando fortunam pervenerit, licet ea quoque bona quæ poſteà acquiſivit, creditoribus dimittere teneatur, non tamen ultrà quàm facere poteſt, urgendus veniat, *l. 4. ff. hoc tit. l. ex contractu, cum ibi notat. per gloſſ. & Dd. C. de bonis autorit. jud. poſſ.* quod in alio debitore, qui beneficium prædictum non obtinuit, ceſſat: qui ad peram & ſaccum excutitur, nunquam tutus, donec creditoribus plenè ſatisfactum fuerit. Proinde ne iſthoc beneficio excludatur cliens, operam dabit *Advocatus*, ut omnia ſolemnia *Edictô Imperatoriô* requiſita mordicus adimpleat, ne quid ipſi imputari poſſit. Quod autem ab *Interpretibus* diſputando movetur, An mercatores foro cedentes, quos interpretes mercatores *Fallitos*, ac vulgus hominum laicorum, à menſâ ruptâ, *Banqueroutiers* appellat, benefi-

neficio prædicto cessionis bonorum gaudere debeant, non habet ullam amplius dubitandi rationem, propterea quòd *Edictô Imperator prædictus Carolus* V. *in Belgicis Provinciis publicatô*, istiusmodi homines pessimos, commerciorum utilissimam rationem conturbantes, laqueô gulâ fractâ vitam finire voluerit, tantum abest ut ullo *Iuris* legumque beneficio digni judicandi sint. Qui rigor prædicti *Placiti* tametsi in desuetudinem abierit, manet nihilominus firma & stabilis decisio, quod cessionis beneficium illis indulgendum non sit; ne hominum malitiis fenestram aperiri contingat, quod ne fiat, publicè interest.

---

## CAP. XXXIX.

### *De injuriarum actione.*

INter omnes actiones civiles atque forenses nulla est, quæ majorem nobis scrupulum semper injecerit, quam hæc injuriarum actio. Nam cum certum sit, eam ad solam vindictam tendere, *Leoninus cons.* 51. *l. prætor.* §. 1. *ff. de injuriis.* §. *non omnes. Instit. de perpet. & temp. act.* quæ *Christianis* omnibus, à CHRISTO *Servatore* nostro, prohibita est, cujus lex *Euangelica* in eo potissimum sita est, ut proximum diligamus sicut nos ipsos, inimicis nostris, iisque qui nos oderunt, benefaciamus. MATH. V. LUC. VI. dicendum concludendumque videtur, hujus actionis exercitium *Advocato Christiano* permissum non esse: Quod si simpliciter procederet, nosmetipsos à peccato excusare

ſare non poſſemus, qui aliquoties iſtiuſmodi injuriarum actiones in judicio perſecuti ſumus. Res certè anceps eſt; Sed nos commodâ quadam diſtinctione & noſtro & aliorum animis hunc ſcrupulum, ut ſperamus, eximemus. Lex quidem CHRISTI, omnes in univerſum homines, qui CHRISTO nomen dederunt, nemine excepto, complectitur & ſtringit: MATH. V. LUC. VI. Quæ quidem non omnem tollit vindictam, ſed privatam tantùm, de quâ accipiendi ſunt ſacrarum ſcripturarum diverſi loci; quales ſunt: *Mihi vindicta, & ego retribuam. Item: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Et qui percutit in maxillam, præbe illi & alteram.* Hæc certè omnia privatam ſpectant vindictam, non eam coërcitionem, quæ judicis infertur ſententiâ; quem D. PAULUS Apoſtolus *Dei miniſtrum appellat, vindicem in iram ei, qui malè agit. Epiſt. ad* ROM. *cap.* XII. Quemadmodum ergò rectè à *Iuriſconſ.* dictum eſt, juſtè fieri quod authore judice fit ac geritur, nec injuriam facere eum, qui ſuo jure utitur: ita quoque in hac injuriarum actione dicendum videtur, ut is, qui publicè læſus, honoris ſui defendendi causâ, aliquem in jus vocat, nec contrà legem charitatis ac CHRISTI præceptum peccare cenſeri debeat: Præſertim, ſi tali ſit affectus quis injuriâ, quæ illum bonorum virorum conſortio arceret, indignumque redderet, niſi per ſententiam judicis innocentiam ſuam publicè declarari procuraret. Neque enim *Euangelicâ* lege prohibemur honorem noſtrum famamque bonam, *mille theſauris pretioſiorem*, ECCLES. XLI. aſſe-

rere, eamque illæſam conſervare, conviô per ſententiam illô, qui labem illi aliquam aſperſerat. Imò D. PETRUS Apoſtolus, *Epiſt.* I. *cap.* IV. diſertis verbis monet Chriſtianos, *ne quiſquam eorum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* De quibus aliiſque ſimilibus criminibus diffamatus, utique non aliter innocentiam ſuam, quam cunctis hominibus conſpicuam eſſe vult CHRISTUS, MATTH. V. *cap.* comprobare & manifeſtam reddere poterit, quàm ſi ſententiâ judicis, convictô de mendacio diffamante, innocens puruſque declaratus fuerit. Quinimò & ipſe CHRISTUS *Servator* noſter, unicum patientiæ exemplar & idea, à ſummi ſacerdotis miniſtro percuſſus, dixit: IOAN. *Euang.* XVIII. *cap. Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſin autem benè, quid me cædis?* Qui licet inimicorum quoque teſtimoniô innocentiſſimus eſſet, voluit tamen injuſtè verberantem redarguere, ſuamque innocentiam coram omnibus profiteri, quòd ſine causâ & immeritò cæſus eſſet, nobis exemplum præbens, quid ſimili caſu facere debeamus, cujus actio, noſtra eſt inſtitutio. Cujus, ut præceptoris veſtigiis inſiſtens D. PAULUS Apoſtolus, vas electum DEI, ac *ſpiritu ſancto* plenus, *Ananiam* principem *Sacerdotum* jubentem ut percuteretur, acriter & quidem contumelioſè reprehendens ac redarguens dixit, ACT. XXIII. *cap. Percutiet te* DEUS *paries dealbate, tu ſedens judicas me ſecundum legem, & contrà legem me jubes percuti:* Conſimiliter quoque idem PAULUS magiſtratum *Philippenſem* accuſans, ACT. XVI. *cap.* quod ſe & *Silam* homines *Romanos*, indemnatos, cæ-

ſos

ſos in carcerem conjeciſſet, injuriam ſibi factam proteſtatus, ac ſuo jure uſus, ab ipſo magiſtratu è carcere dimitti, non clam à miniſtris ejici voluit. Quinimò ut *Iudæorum* inſidiis, quas ſibi undique ſtrui intelligebat, eriperetur, cum aliam evadendi rationem nullam videret, provocatione ad CÆSAREM factâ periculo tum manifeſtiſſimo ſe ſubtraxit. Atque his aliiſque rationibus moti, exiſtimamus, *Chriſtiano* licere, actione injuriarum eum convenire, qui crimen aliquod objecit; ut eâ ratione ac viâ ſuam coram judice, ac concivibus ſuis, innocentiam comprobet atque teſtetur, famamque bonam tueatur atque defendat. Illud verò diffiteri non audemus, eos contrà legem charitatis *Euangelicam* peccare, & à vindictæ cupiditate excuſari non poſſe, qui adverſarium, ſententiâ ad palinodiam damnatum, captis pignoribus, vel ad carcerem pertractum rigidè urgent ac adigunt, ut ſententiæ, revocationem præcipienti ſatisfaciat, ut infamiæ notam plenè contrahat: Iſti ſiquidem malum pro malo rependunt, contrà CHRISTI & *Apoſtolorum* præceptum *Epiſt.* I. THESS. V. II. PET. III. Quo caſu *Advocati* munus & officium erit, clientem ſuum victorem dehortari; ac rationibus *Chriſtianis* inducere, ne quid tale contrà reum condemnatum attentet: imo ſuadere ut ſententiâ judicis, quæ honorem famamque bonam publicè plenèque reſtituit, contentus, proximo, licet inimico, juxtà legem CHRISTI parcat. Quod ſi is ſanis *Advocati* conſiliis acquieſcens, ab ulteriori perſecutione deſtiterit, erit uterque, meo quidem judicio, peccati expers, & victor coram omnibus teſtabitur, nihil à ſe quæſitum

actumque fuiſſe, quàm ut honorem ſuum, nomenque bonum, cunctis ſolicitè cuſtodiendum, convicið condemnati læſum & adſperſum, in tuto collocaret. Et declarabit quoque *Advocatus*, eo dato conſilio, ſe ab omni vindictâ alieniſſimum eſſe, qui clientis ſui animum, ſententiâ obtentâ ferocientem, bonis argumentis ad lenitatem deflexit, & tanquam motos compoſuit fluctus. Quod ſi *Advocatus* victoris, omnis humanitatis & lenitatis oblitus, frigidam ſuffundere, & efferum victoriâ clientis animum, concitare non erubuerit, perſuaſum ſibi habere debet, non defuturam ſibi ultionem divinam, eos qui amaro in proximum animo ſunt, ſemper perſequentem. Porro *Advocatus* Rei in cauſam injuriarum ſolicitè quoque advigilare debet ac proſpicere, ut clienti ſuo, qui vel verbalem injuriam extrà judicium, licet veram, vel realem intulit, ac lite pulſatur, ſanum rectumque conſilium præbeat, omnem movens lapidem, ut cliens commodiſſimâ viâ, vel per transactionem quæ permiſſa eſt, *l. ſi unus. §. pactus ff. De pactis.* vel amicorum interceſſionem, vel etiam deprecationem, à lite moleſtiſſimâ ſumptibuſque extricetur: Id, ſi obtineri nequit, ſed clienti ſuo Reo omninò, velit nolit, litigandum ſit, operam dabit *Advocatus* illius circumſpectus, ſi nec annali ſilentio, nec diſſimulatione vel familiari colloquio, abſque proteſtatione, injuriarum actionem eſſe ſublatam appareat, ut datâ ad libellum Actoris, menſem locumque exprimentem, (iis ſiquidem deficientibus, ineptus redditur, teſte *Leonino Conſ.* 91. *num.* 1. *& l.* 16. *C. De accuſat. & inſcript. Spec. Tit. De libelli concept. §.* 1.)

re-

[Handwritten marginal notes:] Quibusnam modis actio injuriarum tollatur?

Quidnam libellus actoris in se materia continere debeat?

responsione modestissimâ, si negari non possit quod objicitur, verba injuriosa, non injuriandi animo, vel libidine conviciandi, sed iracundiæ calore, & à provocato, irâque commoto prolata esse dilucidè protestetur, ac consequenter actioni injuriarum locum non esse contendat. Quod si actor istiusmodi responsione non contentus, instet, rigidèque litem persequatur, ad sententiam deducturus, consilium Reo dabit, ut procuratorem constituat, in quem actor judicium transferat, quod & lite jam contestatâ fieri potest, *l. qui proprio, ff. de Procuratoribus.* Atque hac cautelâ, etiam ad revocationem condemnatô procuratore, reus qui ipsum dedit, infamiæ notam evitat, ut & procurator ab eo datus, *l. furti §. qui alieno, ff. de procurat.* Et hanc cautelam passim DD. tradunt ad hanc materiam. *Cyn. L.* 1. *C. de Sent. & interloc. Mynsing. consil.* 83. *num.* 25. *Cæpolla, cautelâ* 12. eâque celebres hujus *Curiæ Advocatos* olim usos fuisse, ex antiquâ cognovimus sententiâ in *Commentarium* relatâ. Et non ita pridem exquisitus hujus *Curiæ Advocatus*, cum clientem suum, virum in dignitate constitutum in summo periculo versari intelligeret, & ad revocationem condemnatum iri metueret, Actorem clientem nostrum, virum nobilissimum, summâque præditum potestate, intolerabili injuriâ affectum, dato vili procuratore aliquatenus elusit: Et nos quoque simili cautelâ Actorem quendam, actionem injuriarum cum impetu & ferociâ contrà clientem hominem pauperem persequentem, dato simili quodam procuratore repressimus, impetumque illius violentem retudimus ac fregimus,

processu isto etiamnum altum dormiente. Quam quidem cautelam à Jureconſ. inventam proditamque esse credimus, non in alium finem, quàm ut hominibus, qui irâ & indignatione commoti, alteri injuriam extrà judicium intulerunt, eoque nomine lite pulsati, infamiam inferendam metuunt, illius quoquo modo evadendæ, remedium aliquod suppetat, cum & publicè intersit, bonæ opinionis famæque hominibus, rempub. habitari & frequentari. Illud autem prospiciet *Advocatus* Rei, ne qualitati sententiæ diffinitivæ, nomen suum inscribi patiatur, id enim tutum non est, sed quod sagaces Curiæ *Advocati* facere consueverunt, exhibito mandato istam notam à se divertere debet. Quæ quidem antè dicta, in injuriis extrà judicium prolatis obtinent: in quibus factâ etiam liquidissimâ probatione, veritas convicii injuriantem non excusat, in quo magni nominis *Advocatos* hallucinatos vidimus, ut ex sententiâ *Curiæ* 27. *Octobris* 1591. latâ apparet. Secus est si injuria in judicio dicta vel scripta probata fuerit. Eo siquidem casu, is qui actione injuriarum convictus est, condemnationem prorsus evadit, si probatio sufficiens subsecuta fuerit. Ut autem compendio rem totam absolvamus, *Advocatorum* in hisce odiosissimis litibus intentandis, persequendis, sustinendisque munus & officium arbitramur, si nullis suasionibus dehortationibusque averti & sopiri queant; quod omnibus viribus tentabunt, ut eas tali moderatione, discretione, atque humanitate tractent & exequantur, ne feritate suâ, vel boni consilii inopiâ, in hominum reprehensionem odiumque incurrant, ac iram divinam insuper, omnem ferociam, amarulen-

entiam, & crudelitatem adverſus proximum exercentibus valde infenſam, in ſe provocent; quam vitare & effugere, & e contrario gratiam & miſericordiam divinam promereri poſſe, unica virtus eſt, ſolaque ea, quæ poteſt facere & ſervare beatum.

---

## CAP. XL.

## *De Officio Advocati in cauſis Capitalibus tractandis.*

HActenus quod ſit *Advocati* munus, in cauſis civilibus peragendis, utcunque explicaſſe, atque diſſeruiſſe videmur: Reliquum eſt, ut quæ ſint *Advocati* partes in defendendis criminum reis expendamus. Et primum quidem *Advocato* conſiderandum eſt, cauſas capitales eſſe graviſſimas, in quibus de vitâ liberi hominis ac pœnis corporalibus diſceptatur, atque ob id cautè & circumſpectè in iis verſandum eſſe: Quo enim periculum majus eſt, eo major cautela adhibenda eſt, *l. qui ſententiam. C. de pœnis*, ne innocens plectatur. Quinimo cum ſint miſerabiles perſonæ captivi, & pro talibus reputentur, *l. ſi. quis ad declinandum. C. de Epiſ. & cler. Dd. in l. 1. C. Quando Imper. inter pup. Bart. in Tract. ſuo carceratorum in fine*, invigilare debet *Advocatus*, ne quid clientes ſui detrimenti capiant. Nam quemadmodum in bello bis peccare non licet, juxtà politicum axioma, quòd nimirum tales errores maximas ſæpè clades rebus pub. adferant:

rant: ita quoque in causis capitalibus, si in iis hallucinatus fuerit *Advocatus*, si negligentius in defensionibus proponendis versatus fuerit, clientem captivum in grave discrimen conjiciet. Hinc credimus factum, quod olim octo senioribus *Advocatis*, decretô publicô pauperum captivorum patrocinium sit demandatum, vectigalium solvendorum immunitate concessâ: NB * Cui nostrâ operâ & intercessione, viginti quinque carolinorum aureorum annua pensio, pro singulis accessit. Nos (absit invidia dicto) *Italiâ*, & celeberrimâ *Bononiensi* Academiâ, in quâ lauream *Doctoralem* consecuti sumus, celeberrimosque juris utriusque *Professores*, & *Carolum illum Sigonium* ævi nostri in historiis coryphæum, quo familiariter quoque usi sumus, docentes audivimus, relictâ, *Dolam* linguæ *Gallicæ* addiscendæ gratiâ venimus, ubi praxin in gravi criminali causâ exercere cœpimus; defensô nobili quodam juvene *Flandrô*, qui *Italiam* petiturus, in diversorio in *Burgundiæ Comitatu* ebrius *Principi* suo maledixerat, eamque ob causam publico durissimoque carceri inclusus, non absque magnâ molestiâ evasit, *Duacum* ad studia persequenda ad biennium remissus. In patriam verò, relictâ *Mechliniâ*, ubi in matriculam *Advocatorum* magni consilii recepti fuimus, regressi, rebus *Frisicis* propter *Walonum* adventum oppidò turbatis, multis tum nobilibus primariis, tum civibus in arcem adductis, ac in periculum capitis propter partium studium vocatis, mirum dictu, quàm fertilis causarum criminalium praxis nobis oblata fuerit, omnibus opem nostram patrociniumque ob *Gallicæ* linguæ, tribuno militum familiaris, peritiam, re-

requirentibus. Cujus etiam beneficio, *Centurionibus* militibusque *Walonibus*, tunc temporis, licet non absque periculo, magnas prædas eripuimus, ac quodammodo è faucibus extraximus. In quâ quidem praxi (ut redeamns unde digressi sumus) ab anno 1572. ad hoc tempus ætatem nostram trivimus, & quam plurimos capitis accusatos, nostro patrocinio periculo mortis aliisque pœnis subtraximus. In hac itaque palæstrâ qui versabitur, ut versantur omnes hujus *Provinciæ Advocati*, diligenter eos authores evolvere debet, qui ex professo causas criminales tractant, quales sunt *Angelus de Aretio*, *Alberius de Gandino*, *Hippolytus de Marsiliis*, *Ægidius Bossius*, *Iulius Clarus*, *Damhouderius*, & *consilia criminalia Cæpollæ*. In scholis siquidem criminales materiæ perrarò studiosis præleguntur. Quo fit, ut *Advocati* ubi ad praxin hujus supremæ Curiæ accesserint, & causæ criminales oblatæ fuerint, multis sæpè difficultatibus involvantur. Nam & nos in initio cum causas capitales defendendas susciperemus, multas sæpè noctes insomnes duximus, solliciti valde, ne quid captivo clienti per nos incommodi crearetur. Est enim res plena timoris, & quæ hominem requirit industrium & diligentem. Proinde erit *Advocati* officium, ut ante omnia à Reo captivo, factâ examinatione, perdiscat, quod sit crimen quod objicitur, & quando & quo loco, quibusve præsentibus contigerit, aut contigisse dicatur, ac omnes alias circumstantias excutere debet, crimini ac facto cohærentes; minima siquidem circumstantia jus mutat: *argument. l. aut facta. ff. De pœnis*. Deinde considerare debet atque expendere *Advocatus*, anne

T cri-

crimen quod clienti impingitur, præscriptione vicennali extinctum sit, quâ omnia crimina, paucis exceptis, tolluntur, *l. querela. C. ad l. Corn. de falſ. Bart. & alii ad l. in cognitione. ff. Ad Senatusconſ. Syllania.* Usque adeò quidem, ut transacto viginti annorum spacio, neque offensus, licet minor, restitui possit. *l. auxilium, ibi Odofr. ff. De Minorib.* Eamque objicere & probare tenetur, nisi ex articulis *Actoris* elici possit. Ad hæc indagabit, an criminosus in hâc *Provinciâ* captus, an per remissionem judicis alterius *Provinciæ*, in carcerem impactus sit. Nam licet ista remissio criminosi ad locum delicti, totius *Italiæ* ac *Galliæ* consuetudine non sit recepta, *Bald. in l. 1. C. ubi de crimin. agi oporteat. Cyn. ad. l. apud eloquentissimum. eod. tit. num.* 3. nihilominus tamen cum in hac Curiâ frequentetur, *Advocati* erit expendere, an legitima sit remissio. * Nam si ab alio judice quàm domicilii, facta fuerit, non poterit subsistere; Si enim ab illo judice, qui procedendi contra criminosum jurisdictionem non habebat, & ita neque capiendi, tunc locum remissio non habet, sed est nulla, *glossa in tit. de foro compet. quam communem dicit Bart. & Alex. in l. sepulchri violati ff. eod. tit. Bald. in l. 1. C. de hæred. instit. Abbas conſ. 24. Bossius Tit. de foro compet. num.* 52. 53. 54. 55. & ad locum domicilii remittendus erit reus. Quod si nihil eorum quæ antè allegata sunt, adferri ac prætendi poterit, sed ad defensiones criminis deveniendum est, indagabit *Advocatus*, quæ clientis anteacta vita fuerit, & an aliqua in patriam ejus merita extent: Faciunt enim quamplurimum ad elevandam minuendamque pœnam, quæ

de

de jure conſtituta eſt, *argumento l. ad beſtias ff. De pœnis.* aut innocentiam in dubio adſtruendam. Ea enim in defenſionibus homicidarum magnum aliquando momentum attuliſſe percepimus, præſertim ſi occiſus probaretur homo fuiſse vitæ diſsolutæ, ad rixas & verbera pronus, cædem ſanguinemque ſpirans. Hæc omnia diligenter expiſcari, & defenſionibus probatoriiſque articulis inſerere debet, atque ob id ſæpius captivum adire & cum eo conferre tenetur, qui præterquam quòd charitatis officium faciat, inviſendo captivum ac conſolando, etiam hoc conſequitur commodi, ut omnes qualitates ac circumſtantias facto cohærentes, ac utiles eliciat, quæ illis non ſemper occurrunt, animis eorum metu ac mœrore perculſis; quorum miſeratione non tangi, & incommodo non angi, hominis eſt minimè humani, ac rupe *Tarpeiâ* durioris: habentur enim pro miſerabilibus perſonis captivi, ut antè dictum eſt, & illorum cauſa pia dicitur. Illud autem *Advocatus* præcavebit, ne clientem ad mentiendum inſtruat, quod magno errore aliqui ſibi licere arbitrantur: Id enim bonâ conſcientiâ facere non poteſt, qui memor veteris ſententiæ, *Chriſtianæ* certè, cogitare debet, corporis mala, malis animi curanda, avertendaque non eſſe. Quemadmodum & illud ſollicitè cavebit, ne captivo, aut illius conſanguineis, de ſubornandis corrumpendiſque teſtibus conſilium det. Id enim non ſolum legibus civilibus ſub gravi comminatione interdictum eſt, ſed & lege divinâ prohibetur, quibus non minus tenetur is, qui ad falſitatem inſtruit, fraudandique conſilium ſuppeditat, quàm qui ipſemet falſum fraudemque committit. Præter-

terquam quòd propriam perjurio conſcientiam vulnerat, illicitis modis judicem, DEI vicarium turpiter circumveniens. Tametſi enim captivi clientis commiſeratione motus, omnes ingenii nervos intendere, omnemque movere lapidem & poſſit, & debeat, ut eum periculis eximat eripiatque, intra limites tamen juris ac honeſtatis continere ſe debet *Advocatus*, neque præter jus ac fas aliquid moliri, ut pœnis meritis ſubtrahatur is, qui non tantum proximum, ſed & remp. pernicioſo læſit exemplo, cui, teſte PLATONE *in gorgia*, niſi edito exemplo, ſumptoque ſupplicio plenè ſatisfieri nequit. Unde miratus ſum *quòd Parlamentum Pariſienſe* (*ut refert Boërius deciſ.* 215.) *Advocatum* confeſsum, quòd captivo clienti ſuo conſilium dediſſet, ut aperto carcere aufugeret, excuſatum habuerit, quod tamen conſilium, nec *Boërius* probat, nec nobis quoque placet. Quòd ſi verò reus crimen objectum fateri nolit, ſed in negatione perſeveret, *Advocatus*, rejecto in Actorem *Procuratorem generalem* probandi onere, quod affirmanti incumbit, *l. ei qui in ff. De Probationibus*, fortiter eum diligenterque defendet. Quæ defenſio, cum magnâ ex parte in eo conſiſtat, ut teſtes, aliaſque probationes ab Actore productas elidat refutetque, iis reprobandis providè diligenterque incumbere debet *Advocatus*, ac ſi turpitudo ignominiaque teſtibus objicienda erit, articulos refutatorios conſcribere, & teſtes producere tenetur: quod etiam didicitis teſtificatis, ac poſt concluſionem in causâ fieri poſſe tradit *Hipp. de Marſ. in praxi ſuâ in §. ſequens. num.* 6. 7. 8. Iis ſiquidem Actoris teſtibus, probationibuſque de falſitate,

tate,

tate, contrarietate, ſingularitate vel vacillatione convictis, vel aliis inſtrumentis ac præſumptionibus fortioribus eliſis ac everſis, reus, Actore non probante, etiamſi nihil præſtiterit, abſolvendus venit. Cujus quidem defenſionis Rei tantus in jure favor eſt, ut teſtibus domeſticis, conſanguineis, fœminis non integræ exiſtimationis, ac aliis inidoneis, illius comprobari innocentia poſſit, *Alex. conſ. 21. lib. 1. Spec. Tit. de inquiſit. §. 1. verſic. ſed nunquid reus. l. conſenſu. C. de repud. c. veniens De Teſtib. Alex. conſ. 5. Dec. conſ. 429. & 459. Ioann. de Anania conſ. 50. conſ. Hipp. de Marſ. ſing. 59. Bald. in l. parentes. C. de Teſtib.* cum è contrario Actoris teſtes omni exceptione majores eſſe debeant. In quibus reprobationibus ritè conſcribendis quantum momenti ſitum ſit, quilibet facilè intelligit. Quoniam autem proceſſu concluſo & examinato, Curia interdum deprehendit, probationes criminis impoſiti non eſſe luce clariores, ſed dubias, ac tales, quæ ad condemnationem non ſufficiunt, & ob id ad quæſtiones recurrendum arbitratur, operam dabit *Advocatus*, ſi id reſciverit, ut captivum (ſi non ſit ex eorum numero qui torqueri prohibentur, quales ſunt impuberes, *l. 1. §. impubes. ibi gloſſa ff. Ad Sillanianum*, ſenes decrepiti, *l. 3. §. ignoſcitur. ff. ad Sillanian. Alex in l. milites. C. de Quæſt.* fœminæque gravidæ quæ nec terreri debent) certiorem faciat, ut quæſtionibus ſubjiciendus coram *Commiſſario* de innocentiâ ſuâ poteſtetur, atque declaret, nolle ſibi confeſſionem ſuam tormentis expreſſam, præjudicare, eamquè peractis quæſtionibus revocet: Alioqui enim ſi in confeſſione tali perſeverârit, condemna-

tionem evadere non poterit. Tametſi enim lex dicat, quæſtionem rem eſſe fragilem, & periculoſam, & quæ veritatem fallat, contra quam multa dici poſſe, *Quintilianus gravis author. aſſerit, l. 5. Inſtit. Orat. cap. 4.* quod aliis patientia facilè mendacium faciat, aliis infirmitas neceſſarium: nihilominus tamen cum *Ulpianus, in l. 1. verſic. quæſtionib. ff. eod. tit.* expreſſis verbis definiat, non ſemper, nec tamen nunquam fidem habendam eſſe quæſtioni, ac tota ferè *Europæ* conſuetudine ſit recepta; erit providi *Advocati*, perſpicacius conſilium adhibere, & majori cautelâ procedere, ne clienti præter jus ac leges tormenta infligantur. Quod quidem tum fieri cenſetur, ſi à tormentis, nullis legitimis indiciis, reoque communicatis præcedentibus incipiatur, aut abſque novis repetantur, quod nequaquam fieri debere tradunt criminaliſtæ. *Iacob. de Aretio & Cynus in l. final. C. de Quæſt. Cyn. & Rayn. quos refert. Bart. in l. unius §. reus ff. eod. Bald. in l. milites C. d. tit.* Nam quemadmodum tortus abſque indiciis, & confeſſus, ſibi non præjudicat, etiamſi in eâ confeſſione pluries perſeveraverit, *l. divus. §. ex quibus. & l. maritus ff. de Quæſt. ibidem Hipp. de Marſ. Roma. conſ.* 167. ita quoque ſi ſine novis indiciis legitimiſque argumentis tormenta repetantur, confeſſio in illis expreſſa, non præjudicat, etiamſi indiciis ſequentibus confirmata fuerit, quod tradit *Boërius. deciſ.* 259. Quæ quidem prædicta uſque adeò obtinent, ut *Ulpianus* dicat, etiamſi quis ultrò de maleficio confiteatur, non ſemper ei fidem adhibendam eſse, hâc ſubjectâ ratione, quod nonnunquam aut metu, aut quâ aliâ causâ, in ſe confitean-

teantur accuſati. Quod & *Imperatores* fratres ad *Voconium Saxam* reſcripſiſſe idem *Ulpianus refert*, *in l.* I. *§. ſiquis ultro. ff. De Quæſt.* liberandum eum, qui in ſe fuerat confeſſus, cujus poſt damnationem, de innocentiâ conſtitiſſet. Itaque ne repetantur tormenta, nullis novis legitimiſque indiciis emergentibus, proſpicere & præcavere debet *Advocatus*, ac ſupplicî libello Curiæ porrecto, petere, ne id fiat, illam ethnici hominis ſententiam, planè chriſtianam ſemper inculcans: Satius eſſe, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari, *l. abſentem ff. de pœnis.* Quod in graviſſimâ quadam criminali causâ, captivo de proditione delatô, ante aliquot annos tentatum, & ſupplici libello Curiæ exhibito, à nobis impeditum fuiſse recordamur, nullâ habitâ ratione declarationis delatoris, in articulo mortis aſserentis, captivum verè à ſe delatum eſse, quam nos, ultimo ſupplicio præſentes, non abſque horrore proferri audivimus. Quam iſtius delatoris declarationem meritò rejecit Curia, tum quod captivi delati capitalis hoſtis eſſet, tum etiam quod unius hominis declarationi ſeu teſtimonio lex divina DEUTER. XIX. *cap.* MATH. XVIII. *cap.* fidem adhiberi prohibeat, ut aliquis condemnetur, ſed teſtibus ad minus duobus eſt convincendus qui accuſabitur, *Chriſto & Paulo Apoſtolo* teſtantibus. *Ioan.* 9. *Epiſt.* 2. *ad* CORINTH. *cap. ultimo.* Ex quâ, tanquam puriſſimo fonte, profluxerunt leges civiles ac humanæ, unius hominis teſtimonium in judiciis etiam civilibus reſpuentes, etiamſi dignitatis ſummæ honore præfulgeat. Ut autem revertamur eò, unde digreſſi ſumus, *Advocatis* hæc cura incumbit,

ut

ut omnia circumſpectè & legitimè fiant, atque ut id obtineant, precibus Curiæ porrectis, advigilare & inculcare debent, ne vel abſque indiciis accuſatus torqueatur, vel ſine novis, repetatur quæſtio, citatis *Ulpiani* verbi, dicentis: *Quæſtionem rem eſſe fragilem & periculoſam & quæ veritatem fallat*: Nam plerique (inquit) patientiâ ſive duritiâ tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab illis veritas nullo modo poſſit: Alii tantâ ſunt impatientiâ, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint, & ita fit ut varia modo fateantur, & non tantùm ſe, verum etiam alios criminentur. Cujus rei horrendum narrat exemplum *Boërius deciſ.* 166. de muliere, quæ propter minas, quas de feneſtrâ in inimicum ſuum, aliis & inimici inimico audientibus, effuderat, capta & quæſtionibus ſubjecta, homicidium ab inimici inimico patratum, doloris impatientiâ faſſa, ultimo ſupplicio, licet innocentiſſima, affecta fuit. Conſimile exemplum & in *Curiâ Trajectenſi* contigiſse ante multos annos intelliximus. *Profectò* cùm & captivos in ipſis tormentis expiraſſe perceperimus, certè eâ moderatione & diſcretione in tormentis adhibendis verſabitur Curiæ delegatus, ut carnificis feritatem refrenet atque coërceat. Solent enim iſti homines, nonnunquam improbi, iſtam triſtem odioſamque functionem ſuſcipientes, omnem ferè humanitatem exuere. Quòd ſi verò vel legitimâ confeſſione, vel aliis liquidis probationibus, luce clarioribus, quales in criminalibus requiruntur, *l. fina. C. de probat. l. qui ſententiam C. de pœnis.* delictum probatum, reuſque convictus fuerit, ſi per circumſtantias elevari ac minui nequit,

quit, quod omnibus viribus tentabit *Advocatus*, ad deprecationem confugiendum erit, ac reo de vitâ manifeſtè periclitanti, chriſtianas, de immensâ & infinitâ Dei miſericordiâ, omni tempore (*teſte D. Cypriano*, *in ſermone de cœna domini*) pœnitentes recipientis, adhibere conſolationes debet, hortabiturque clientem, ut conjectâ in *Chriſtum* humani generis Servatorem, ac fidum *Advocatum* (teſte *Apoſtolo Epiſt. Ioan.* I. *cap.* II.) ſpe, mortem hanc omnibus hominibus ſeriùs ociùs ſubeundam, cum patientiâ excipiat, certus, eam propter ignominiam (ſi ex animo illum prioris vitæ pœniteat) ad criminis probati, reliquorumque peccatorum expiationem purgationemque indubitanter profuturam. Precibus quoque ſuis *Advocatus*, (quod *Medico* ægrotum curanti *Eccleſiaſt.* cap. XXXVIII. præcipit) clientem ex hac vitâ migraturum, juvare, Deoque omnipotenti commendare, atque orare debet, ut cor ipſi humiliatum & contritum, ac veram patientiam largiri dignetur, ut hujus carnis vinculis ſolutus, ad *Paradiſum* tranſire poſſit, beatorum conſortio aggregandus. Illud coronidis vice addendum, *Advocatumque* commonefaciendum arbitramur, ne cauſam clientis captivi nimiâ acceleratione præcipitet. Tempus enim & dies (*teſte Comico*) ut ægritudinem adimit, ita iram & indignationem quoque mitigat lenitque, ac ob id lentè, ut habet vetus dictum, feſtinandum eſt, ut eâ ratione, & Curiæ reliquiſque concivibus, operam ſuam probare poſſit, ſi cauſa præter opinionem, triſtem eventum ſortita fuerit. Illud citrà jactantiam profiteri poſſumus, inter centenos captivos, quibus annis 33. patrocinium præſtitimus, ac

hoc ſaxum volvimus, pauciſſimis ultimum ſupplicium irrogatum fuiſſe.

## Cap. XLI.

## *De iis qui ſe purgationi criminum offerunt, & quomodo in iſto negotio verſabitur Advocatus.*

PRæcedenti capite de *Officio Advocati* in cauſis capitalibus, & quid facere debeat, quando Reus criminis ad carceres pertractus, à Quæſtore rerum capitalium (qui *Procurator generalis* dicitur) lite pulſatur, diſſeruimus. Nunc ordo tractationis poſtulare videtur, ut deſcribamus, quæ ſint *Advocati* partes in conſiliis dandis & defendendis iis qui in carcere ſe ſiſtere & purgationi criminis offerre volunt. Id enim nonnunquam fieri, nemo in praxi hujus Curiæ verſatus ignorat. Nam cum hæc ſcriberemus, duo de commiſſo homicidio diffamati, quorum alter id neceſſariò feciſſe creditur, cùm tertius occiſus ſit, ad carcerem conceſſerunt, purgationi ſeſe offerentes, & etiamnum ſub judice lis eſt. Itaque ſi iſte caſus *Advocato* oblatus fuerit ab aliquo, conſilium ſibi dari petente quid facere debeat, præcavebit ille certè, ne author ſit, ut conſultor purgationi ſe offerat, ſed dicet, rem periculi eſſe pleniſſimam, & planè ancipitem, multa incidere poſſe, quæ eum in vitæ diſcrimen longè maximum adducere atque conjicere queant;

Præcavebit Advocatus ne author sit ut arrestatus purgationi sese offerat.

ant; ac proinde deliberandum esse diu quod statuendum est semel, neque enim esse pœnitentiæ locum. Ad hæc posse reum, qui carceri inclusus, dubiam litis aleam elegit, magnoperè falli, testibus quibus se innocentiam suam probaturum confidit, aut vacillantibus ac variantibus, aut etiam ignorantiam simulantibus, aut quod detestabile est, falsum testimonium perhibentibus. Ista enim omnia accidere posse experientia rerum magistra docet. Prætereà facile contingere posse, ut si probationes dubiæ aut suspectæ sint, quæstionib. subjiciatur, tormentis examinandus purgandusque. Qui si doloris impatiens (ut sunt multi) aliquid contrà se legitimè confessus fuerit, nemini non conspicuum est, quantis periculis vitam suam exponat. Hæc, inquam, omnia consultori inculcare debet *Advocatus*, ut iis consideratis perpensisque deliberare possit, quid facto sit opus. Adjiciet quoque; non ita pridem quendam, qui de homicidio suspectus, ad carceres spontè concesserat, probationibus dubiis, ægerrimè vitâ salvâ evasisse. Quod si verò consultor insontem se professus, periculum subire omninò decreverit, ac carceri inclusus, consilium sibi dari petat, ut voti sui compos fiat: *Advocati* erit officium, in hac, ut in aliis causis capitalibus, omnem adhibere diligentiam, omnesque defensiones exquirere & indagare, quas facti circumstantiæ suppeditare ullatenus poterunt, fortiterque causam tutari, ne aliquid sit quod *Advocato* imputari à cliente possit. Atque hæc quidem obtinent, si *Procurator generalis* litem adversus captivum, purgationi oblatum intentaverit ac persecutus fuerit. Quod si verò quisquam

vide fol: praed: 139 in fine

à privatis de crimine infamatus purgationi se offerat, erit *Advocati* officium, precibus Curiæ oblatis petere, ut per citationem ad certum diem vocentur infamatores, crimen objectum probaturi atque executuri. Qui si bonâ citatione evocati, non compareant, & de contumaciis accusati fuerint, Actor captivus purus purgatusque sententiâ Curiæ declarabitur. Si verò quisquam purgationi se opposuerit, & postea ad persequendam causam citatus, emanens de contumaciâ accusatus fuerit, unius istius contumaciæ accusatio hoc Actori dabit commodi, ut ejusdem Curiæ sententiâ purus declarandus veniat, adversario in expensas damnato. Atque hæc ordinationibus magni consilii apud *Mechliniam* Tit. *Proces criminels*, *artic.* 21. *&* 22. *&* 23. comprehensa sunt, ut videre licet, & locum habent, quando is qui infamavit, certus est. Secus erit, si incertum sit, à quo infamatio primum sparsa sit, ac originem trahat: tunc enim aliâ viâ ac modo procedendum foret, ac faciendum id quod Ordinatio *Curiæ Hollandicæ artic.* 410. continet, nimirum, ut Actori, Edicto citatorio concesso, detur facultas, ut per apparitorem Curiæ, ad locum domicilii & delicti perpetrati transmissum, trinâ proclamatione evocentur omnes, qui Actoris purgationem oppugnare volent, ut ad certum diem compareant, ac legitimas criminis prolationes inferant: Quod si trinâ proclamatione peractâ, nemo comparuerit, purgatus declarabitur, nisi per aliquem ad hoc delegatum, sufficiens probatio Curiæ facta fuerit. Eo siquidem casu, captivus criminis convictus, competenti supplicio afficietur. Verum enim verò cum ista testium examinatio seu

Quid juris si incertum sit à quo infamatio cepta sit:

ſeu inquiſitio maximi ſit præjudicii, ac ob id omni vacare ſuſpicione debeat, utpote cum eam vel abſolutio vel condemnatio ſequatur, erit *Advocati* officium, procurare, ut iſta inquiſitio alicui conſiliario, nullâ ſuſpicione gravato, committatur: quò omnia ordinè & legitimè peragantur, quod in capitalibus cauſis vel maximè requiritur, quibus irreparabile damnum irrogatur, ſi gravis error commiſſus fuerit in condemnando. Et licet iſta inquiſitio ſeu teſtium examinatio atque receptio *Ordinatione Curiæ Hollandicæ* ſecreta eſſe, atque ita Curiæ exhiberi debeat, arbitramur tamen, ad *Advocati* quoque officium pertinere, ut precibus Curiæ oblatis, inſtet ac urgeat, quò iſta teſtimonia captivo clienti ſuo communicentur, ut diſpiciat, quid ſibi ſit faciendum, ne præcisâ & ademptâ contradicendi ac teſtes refutandi facultate, prætermiſſo juris ordine, inſons opprimi videatur. Cum enim hôc caſu tam verſetur in vitæ diſcrimine captivus, quàm cum ad carceres pertractus, ordinariâ lite pulſatur, non poteſt ulla diverſitatis ratio reddi, quare ad reprobandos teſtes ſecretò examinatos, non ſit admittendus qui purgationi & carceri ſeſe obtulit. * NB In initio capitis hujus mentio facta eſt duorum, qui ſe purgationi obtulerunt, & ex vinculis cauſam dixerunt. Eâ ad finem perductâ, antequam ſuprema huic tractationi manus imponeretur hunc habuit exitum, quod examinatis utriuſque teſtibus, tormentis inſuper ſubjecti fuerint, quorum neutri cum ulla exprimi confeſſio potuerit, centum quinquaginta aureorum ſummâ mulctati & in expenſas damnati *anno* 1605. abſoluti ſunt, ut ex *Advocatis* qui patrocinium præſtiterunt,

 ac-

accepimus. Veruntamen cùm ea res multis periculis, ut antè quoque diximus, obnoxia ſit, cavebit *Advocatus*, ne conſultori ex vinculis cauſam dicere volenti animum addat, ſed poſitis ob oculos periculis longè maximis, ſcrupulum injicere debet, ut ille deterritus, in re tam arduâ, amplius deliberandum cenſeat, populare illud ac proverbiale dictum ipſi occinens: **Het is beter te weſen in der Vogelen ſang als in d'yſeren klang.** Licet enim durum ſit, in exilio vitam agere, durius tamen eſt, vinculis compedibuſque ſtringi, ac dubiam judicii aleam ſubire: Libertas certè res eſt inæſtimabilis, teſte Iureconſ. & carcer mala manſio dicitur, ac morti æquiparatur, ſecundum *Baldum. c.* 1. *§. denique. Tit. quæ fuit prima cauſa beneficii amitt.*

---

## Cap. XLII.

## *De Beneficio Remiſſionis criminum.*

SUperiori capite *Advocati* munus & officium in tractandis cauſis capitalibus breviter deſcripſimus: Quoniam autem eodem capite obiter mentio facta eſt de homicidis, & quæ ſint partes *Advocati*, ſi quando in judicio contra impetitionem *Procuratoris generalis* defendendi ſunt, videndum eſt, quid *Advocato* faciendum ſit, ſi homicida literas Remiſſionis petendas ſibi atque impetrandas ducerit, quod ſæpè in hâc noſtrâ Provincia, propter homicidiorum (proh dolor) frequentiam contingere nemo eſt qui ignorat. Itaque ſi *Advocati* in iis Remiſſionis literis impetrandis

dis consilium requiratur, ante omnia providendum illi erit, ut si supplicem libellum scripturus sit, nihil præter rei factique veritatem narret, sed operam dabit, ut preces veritate nitantur. Nam si libello supplici aliquid, delicti palliandi, extenuandi, elevandique gratiâ complexus fuerit is, qui eum exhibuit, aut veritatem factique circumstantias, crimen homicidii aggravantes exprimendas, suppresserit, fructu, effectuque beneficii Remissionis impetrans carebit. Diplomata siquidem principum falsis causis nixa non subsistunt, *c. super literis. De rescriptis. DD. in l. præscriptio, C. Si contra jus vel utilitatem pub. c. super lit. c. super ea. De re judicata.* Quapropter *Imperatoris Caroli 5. Placito 21. Octobr. anno* 1541. *publicato, Ordinumque promulgatione renovato & confirmato, artic.* 18. & 19. istiusmodi literæ Remissionis, subreptitiæ declarari jubentur, non tantum si falsò narratum sit, impetrantem provocatum, ac inculpatæ tutelæ moderamine usum, hominem peremisse, sed & si libello supplici homicidam bonæ famæ, aut interemptum malum, improbæque vitæ, conversationisque hominem fuisse, narratum sit, quod *artic.* 19. disertis verbis declaratur. Proinde providi *Advocati* erit prospicere, ne quid hac parte in concipiendis precibus peccetur; Et tanto quidem magis, quòd *artic.* 12. prædictæ Constitutionis, reus homicidii, literis Remissionis in judicio exhibitis & intimatione seu interinatione, ut loquitur *Leoninus*, *cons.* 91. *petitâ*, ad carceres ire cogatur, ibidem permansurus, donec aliter à Curiâ dispositum fuerit. Quod quàm sit periculosum & anceps, quisque apud se cogitare poterit. Nos

certè

certe hujus rei exemplum vidimus, in quodam *hujus Provinciæ territorii Leovardienſis* ruſtico locuplete, qui quòd facti circumſtantias aliter narraſſet, quàm rei veritas poſtulabat, literis Remiſſionis in judicio exhibitis, & factâ contentione, ut Actis Curiæ intimarentur; à *Procuratore generali* homicidium voluntarium, proditoriumque fuiſſe publicè allegante, de obreptione ſureptioneque accuſatus, & in carcerem impactus, in ſummo vitæ diſcrimine verſabatur, nec ſupplicium ultimum evadere potuiſſet, niſi ad cauſam jam deſperatam vocati nos, remedio quodam extraordinario, permiſſo tamen, nimirum ſecundis remiſſionis gratiæque literis dum carcere continebatur, ac lis inter captivum ac *Procuratorem generalem* penderet impetratis, quod fieri poſſe ex antiquâ cognovimus ſententiâ 16. *Martii anno* 1540. pronunciatâ; *Advocatis* notanda, eum periculo longè maximo, ſubtraxiſsemus, uti ex actis Curiæ liquere poteſt. Neque verò ſufficit, beneficium Remiſſionis, benè legitimeque, precibus veritate nitentibus impetratum eſse, niſi iis quoque ſervatis ſolemnibus petatur atque obtineatur prædictarum literarum intimatio (**interinement** *Galli vocant*) quæ prædicti Imperatoris conſtitutione præſcripta & expreſsa ſunt. Et primum quidem qui literas prædictas impetravit, intrà ſex menſes eas Curiæ offerre debet, alioqui earum effectu cariturus: Deinde ipſemet ſtatuto die juridico in auditorio comparere eaſque exhibere debet; atque ſimul poſtulare, ut intimentur, actiſque juxtà Curiæ ſtilum inſcribantur: Eoque facto, rectà ad carceres ſe conferre ibi que permanere tenetur, donec Curia ſe-

cus

cus disposuerit. Quod quidem ita strictè observari voluit *Carolus Imp.* ut judici expressis verbis interdixerit, ne antè carceris mancipationes, & non lectis examinatisque attestationibus à judice loci transmissis, impetrantem è carcere dimittat. Quæ quidem omnia juxtà *Placiti* tenorem usque adeò requiruntur de necessitate, ut licet *Procurator generalis* consensum suum adhibuerit, judex tamen non excussis Informationibus, captivum dimittere nequeat. Ad hæc quoque exigitur, ut ad diem præstitutum, vocatis iis quorum interest, intimatio prædicta postuletur, quibus constitutione prædictâ facultas datur, ut literas sive Remissionis beneficium ex professo, si velint, oppugnent, non solum ut quod suâ interest consequantur, sed etiam ut iis rejectis, capitali supplicio reus subjugetur. Ex quibus omnibus liquido patet, solertis industriique *Advocati* officium in eo versari, ut prospiciat ne quid ex prædictis solemnibus prætermissum deprehendatur. Id enim si accideret, conscientiæ morsum semper circumferret, surdo verbere cædentem. Nam cum *Placita* Principum legis vigorem habeant, à nemine, nedum *Advocato*, ignorari debent, & consequenter, si juris ignoratione lapsus *Advocatus*, periculum clienti creâsse convictus fuerit, nominis sui jacturam faciet, imò ad instar medici imperitè secantis, mortisque occasionem præbentis, lege *Aquiliâ* teneretur. Sed & illud quoque prædictum *Placitum* continet ad solatium eorum, qui literas impetraverunt, ut si quid libello supplici omissum erit, quod narrandum exprimendumque fuerat, porrectis precibus secundas sibi literas indulgeri petere possint: ita tamen ut

iis quoque inserant, antè literas à se impetratas fuisse, quibus factum non satis narratum erat: Quod quidem usque adeò necesse est ut fiat, ut eô omissò, secundæ non minus quâm priores, subreptitiæ futuræ sint, quæ statim quoque cancellari jubentur, antequam ulla desuper habeatur deliberatio. Ne autem secundis literis à *Principe* impetrandis captivum gravari contingat, cum absque magnis impendiis id fieri non soleat, remedium est, ut *Advocatus* porrectis Curiæ precibus, omissionem sibi condonari, factâ compositione, petat: quod fieri posse & factum olim fuisse, ex antiquis sententiarum hujus supremæ Curiæ commentariis, cognovi, quæ *anno* 1546. vicesimo *Maii & decimo Iunii latæ* sunt, inter *Procuratorem generalem* Actorem, & *Regnerum Lieuma*, item *Feddonem Sibolts* reos, quibus certâ pecuniæ mulctâ indictâ, literæ remissionis intimatæ fuerunt. Præterea illud quoque inter solemnia connumeratur, ut reus *Diploma Principis* exhibiturus, intimationemque postulaturus, in Auditorio flexis genibus apertoque capite id faciat, cui nisi lectis literis surgere permissum non est. Quâ lectione, præsentibus Curiæ delegato ac *Procuratore generali*, frequenti *Advocatorum*, hominumque coronâ peractâ intimationeque petitâ, ad carcerem reducitur, ibi permansurus, donec àuditis iis quorum interest, ac prædicto *Procuratore generali*, Curia prædictas literas definitivâ sententiâ intimandas declaraverit. Atque hæc quidem in remissionibus homicidiorum impetrandis intimandisque obtinent, placito *Imperatoris* comprehensa, atque *Enchiridio Statutorum* inserta, ac ob id mordicùs, & ad unguem

em obſervanda ſunt. Ad alia verò crimina quod attinet, quorum remiſſiones petuntur ac impetrantur à *Principe*, prædictas quoque ſolemnitates ad intimationem earum obtinendam, obſervandas eſſe arbitramur; niſi principalium literarum ſeu *Diplomatis* tenor expreſſam earum relaxationem contineat. Atque ea quidem quæ antè relata ſunt, locum ſibi vendicant, ſi ſententia condemnatoria non præceſſerit. Nam ſi ſententiam paſſus Reus, à principe reſtitutus ſit, fortè alia exiguntur ſolemnia. Qui caſus, cum nobis in praxi verſantibus, oblatus non ſit, nihil ſpecificè de iis declarare poſſumus, contenti iis, quæ antè dicta ſunt atque relata: Interim tamen negare non poſſumus, vidiſſe nos in antiquis Curiæ ſupremæ commentariis, ſententiam condemnatoriam quandam famoſam, & reſtitutionem à principe factam, quâ quidam non infimi nominis ſententiâ damnatus, ac omnibus honoribus dignitatibus exutus, honori, famæque reſtitutus fuit. Sed illud apud *Plinium illum ſecundum*, Oratorem & *Advocatum* conſummatiſſimum, *in Epiſtola ad Imperatorem Trajanum ſcriptâ*, in diſputationem vocatum videmus, an *Archippus* philoſophus, ob crimen falſi in metallum à proconſule damnatus, & Diplomate non reſtitutus, ſolâ epiſtolâ *Domitiani Imperatoris ad L: Appium Maximum datâ*, qua *Archippum* & virum bonum, & profeſſione majoribus reſpondentem, *Maximo* commendaverat, & plenam ei humanitatem præſtari volebat, reſtitutus cenſeri deberet: Et re apud *Imp.* optimum in utramque partem diſputatâ, cenſuit ac reſcripſit, credendum eſſe, etiam ſtatui ipſius *Archippi* interventu *Domitiani Impe-*

*ratoris*, ſubventum fuiſſe. Cui congruere videtur *textus l.* 1. *C. de ſententiam paſſis & reſtitutis.* Nam ibi *Iulianus quidam Licinianus*, *Antonino Imperatori* oblatus, ſolis verbis adverſus ſententiam Deportationis, Provinciæ non ſolum, ſed & honoribus, & ordine ceteriſque reſtitutus narratur. Quoniam autem ſententiam paſſi & reſtituti intereſt quàm maximè, memoriam ejus non perire, circumſpecti erit *Advocati* officium, curare, ut ea omnia in commentarios publicos referantur ac conſerventur, ut cum res poſtulabit, in promptu eſſe ac haberi queant. Quod autem anteà diximus, vocandos eſſe eos quorum intereſt, quando intimatio beneficii Principis in judicio poſtulabitur, iiſque permitti, oppoſitionibus legitimis petitionem Actoris impugnare, uſque adeo verum eſt, ut *ex antiquâ* 27. *Octobris anni* 1548. *inter Ioannem Obbonis Actorem & Corneliam Valerii* illius conjugem Ream prolatâ, cognoverimus, Imperatoriarum literarum, quibus relegationis revocationem (quam *Galli vocant appel du Ban*) indulſerat, intimationem ſententiâ hujus Curiæ definitivâ Actori prædicto denegatam, & *Procuratori generali* injunctum fuiſſe, *Imperatoris* jus adverſus eum exequi, qui & in expenſas condemnatus fuit, ut ex prædictâ ſententiâ Curiæ commentariis inſcriptâ & inſertâ apparet.

## Cap. XLIII.

## De Sumptibus litis.

CUm non iis tantum qui in foro verſantur litibuſque exercendis operam dant, ſed & iis quoque

que qui ſui conſequendi gratiâ jure experiuntur, notiſſimum ſit, magnis impendiis lites peragi, uſque adeò quidem, ut ea res proverbio locum fecerit, quô taxantur ſtrenui iſti litigatores; nimirum juvenem litigatorem, ſenem mendicum fore. Erit *Advocati* quoque munus, ut antè diximus, conſultores à litigando abſterrere. Quod ſi verò aurem accommodare nolint, aut ſuum, niſi motâ lite, conſequi nequeant, proximum erit, ut proſpiciat *Advocatus*, ne in litis exordio ſumptus expenſaſque petere negligat, non ignarus, non petitas à judice non adjudicari, *l. terminato. C. de fructibus & litium expenſis.* Quod mihi aliquando nimium feſtinanti contigiſſe recordor & fateor. Sed cùm rariſſimè hâc parte peccetur ab *Advocatis*, non exiſtimamus opus eſſe, hoc præceptum curioſiùs inculcare. Illud autem hoc loco monendi ſunt *Advocati*, ſi contingat, eos clientum ſuorum nomine, cum expenſarum, uſurarum, fructuumque adjudicatione ſententiam obtinere, ut eas declaraturi modum non excedant, ſed intrà limites honeſtatis Ordinatione Curiæ præſcriptos permaneant. Quâ parte plurimum à pleriſque *Advocatis* peccari quotidie deprehendimus, qui nullâ æquitatis ac moderationis habitâ ratione, hoc agunt ac ſtudent, ut quàm plurimum per fas nefaſque clientum ſuorum victorum nomine, judicis taxatione conſequantur. Vidimus nos paucis abhinc annis, unius litis ſumptus, impendiis computatis, ad centenos aureos extenſos declaratoſque, judicis moderatione taxationeque, ad 20. aut circiter aureos reductos fuiſſe. Quo quid poteſt abſurdius ac etiam iniquius fingi? Certè negari non poteſt quin iſtiuſmodi

*Advocati* in conſcientiam ſuam peccent, ac jurisjurandi religionem violent. Neque enim in iſtis expenſarum litiumque ſumptibus exequendis minus bonam fidem ſervare debet, quàm in causâ principali. Ut autem illi malo eatur obviam, dabit operam *Advocatus* qui victo patrocinium præſtitit, ut iſtas expenſarum uſurarum ac fructuum declarationes à victore in judicio exhibitas, diligenter ſolicitèque excutiat, ac competentes diminutiones refutationeſque intrà tempus Ordinatione præfinitum adjiciat, ne clientem unicâ contumaciâ, ſi adſit, facultate diminuendi ſeclusum, quod ſtilo Curiæ obtinet, earum defectu, damnum non modicum accipere contingat, quippe cum ipſam ſortem ſæpè excedant. Iam verò ſi per taxationem judicis ei rei ſedentis, clientem ſuum qui victus eſt gravari viderit *Advocatus*, ad illius pertinet officium, ut ab eâ, tanquam interlocutoriâ ſententiâ, ad Curiam provocet, ut error læſioque reparari poſſit: quod fieri aliquando vidimus. Nec debet is qui taxationem fecit, in malam partem accipere, ſi ab eâ provocatio fiat, cum olim ſolus præſes, nunc primus Conſiliarius iſtis taxationibus vacet, ut mirum non ſit, ſi aliquando aberret à ſcopo: plus etenim oculi vident quàm oculus, juxta vetus dictum. Et meô quidem judiciô publicè expediret, iſtam provinciam pluribus aut tribus ſaltem Conſiliariis demandari. Quod autem antè dixi, eâ moderatione in declarandis litis ſumptibus utendum eſſe *Advocatis*, ne quid præter veritatem fidemque bonam feciſſe convincantur, iterum dico ac repeto: rectè enim veteri proverbio dicitur δὶς ϰαὶ τρὶς τὰ ϰαλά. Quos velim veteres illos hujus

ſupremæ

A Taxatione sumptuum et expensarum potest provocari quis ad plenam Curiam.

ſupremæ Curiæ *Advocatos* celebres (quorum nemo nunc ſupereſt) imitari, quos eâ conſcientiâ ac moderatione in iſthôc negotio verſari conſpeximus, ut taxatione Judicis parum aut nihil de ſummâ ab iis petitâ deduceretur. Sed (prô dolor) longè ab integritate & ſinceritate illorum defleximus, & cum poëtâ concludere poſsumus,

Quod:

*Ætas parentum pejor avis tulit,*
*Nos nequiores, mox daturos*
*Progeniem vitioſiorem.*

Nec mirum; verſamur enim in hâc mundi ſenectâ, in quâ abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum, teſte CHRISTO *Servatore noſtro*: *Beatus ille qui uſque ad finem in pietate, ac timore Dei perſeveraverit.* MATH. XXV. Neque eſt quòd quiſquam vulgi dictum, *petendum videlicet iniquum, ut æquum feramus*, ad exorbitantis petitionis ſuæ excuſationem prætendat: Cum nemo ignoret, omnem iniquitatem & alienorum bonorum concupiſcentiam, lege divinâ prohiberi atque damnari. Quoniam autem ſumptuum litis declarationibus reproducendis octiduum, & ſi uſuras aut fructus contineant, trium ſeptimanarum ſpacium Ordinatione præfinitum eſt, curabit *Advocatus*, ut unà cum legitimis diminutionibus, prædicto termino currente, apud acta exhibeantur, ne victor ordinationi inſiſtens, taxationem, abſque diminutionibus victo præjudiciabilem atque detrimentoſam, conſequatur ac obtineat.

CAP.

## Cap. XLIV.

## *De honorariis seu Salariis Advocatorum.*

QUàm gravè sit *Advocatorum* officium, quàm dura provincia quam sustinent, ex iis quæ superioribus capitibus adducta sunt & relata, non difficulter colligi potest. Nunc superest, ut de præmiis laborum, quæ honoraria vocat *Ulpianus*, paucis videamus. Neque enim quisquam est qui ignorat, eam rerum humanarum esse conditionem, ut rarô quisquam repertus sit, qui privatim vel publicè beneficiis aliquibus præstitis, non aliquod sibi præmium deberi existimaverit: Quod & rationem habet; Nam æquitati naturali nihil tam conveniens est, quàm ut is, qui fidà alicujus operâ usus commodum sensit, remuneratione gratiam aliquam rependat. Quod quidem usquè adeò æquum censuit ipse *Christus Servator noster*, *teste* D. Paulo *Apostolo*, 1. *Epist. ad Corinth. cap.* 9. *ad Timoth.* 5. ut Euangelium etiam annunciantibus vitæ necessaria suppeditanda ordinaverit, & operarium cibo suo ac mercede dignum declaraverit. *Math.* 10. *Luc.* 10. Proinde cum omnium hominum ac nationum consuetudine moreque receptum sit, tanquam axioma politicum, ut semper dignus habitus sit operarius mercede suâ, nec minimam esse injustitiæ speciem, sed & summam ingratitudinem, operâ proximi absque remuneratione uti; hinc fit, ut *Advocatis* quoque qui patrocinium clientibus præstiterunt, honorarium seu salarium solvendum esse leges

leges ſtatuant. Eleganter certè & magnificè de *Advocatorum* patrociniis ſenſerunt veteres juriſconſulti, & præcipuè *Ulpianus* ille juris coryphæus, his verbis uſus *l.* 1. *verſic. in honorar. ff. de extraord. cognitionibus.* *In honorariis Advocatorum ita verſari judex debet, ut pro modo litis, proque Advocati facundiâ, & fori conſuetudine, & judicii, in quo erat acturus, æſtimationem adhibeat: dummodò licitum honorarium quantitas non egrediatur*: quam idem *Ulpianus* paulò poſt ad centum uſque aureos licitam definit, his verbis: *Licita autem quantitas intelligitur pro ſingulis cauſis uſque ad centum aureos.* Quinimò & Divum *Severum Imperatorem* eo favore proſecutum fuiſſe *Advocatos* refert idem *Ulpianus*, *d. l.* 2. *verſic. Divum Severum*, ut ab heredibus *Advocati*, qui litem totam non peregerat, eo nomine mercedem acceptam repeti prohibuerit; adjectâ ratione, quod per illum non ſtetiſſet. Quam rationem ſecutus *Guido Papæ quæſt.* 102. diſputando reſolvit, quòd nimirum *Advocatus* promiſſum ſalarium habere debeat, ſive per ſententiam, ſive amicabilem concordiam lis ſopita fuerit, allegans *gloſſam notab. in l. fin. ff. Mandati, & in l. unica. C. de Suffr. Spec. in Tit. de Salariis §. ſequitur. verſic. quid ergo.* Verùm enim verò cùm ea res magnis difficultatibus non careret, creſcente hominum malitiâ & avaritiâ, poſterioribus ſeculis, & *Principibus*, & rerumpub. adminiſtratoribus conſultius viſum fuit, factâ moderatione certam quantitatem modumque præſcribere, quantum *Advocato* pro ſingulis ſcriptionibus vel partibus Proceſſus ſuprà expreſ-

ſis cliens ſolvere teneatur; Quam egredi, *conſtitutione Imperatoris Caroli* V. *ad provincialium querelas publicatâ, anno* 1554. *prohibetur*, & ejus quod indebitè exactum eſt, repetitio conceditur. Quod quidem ut apud omnes alias nationes fieri videmus, ita in patriâ noſtrâ quoque ei rei modus ſtatutus eſt. Nam illuſtriſſimus *Saxoniæ Dux Georgius* quondam *hæreditarius Friſiæ Gubernator*, Ordinatione publicatâ, quâ breviter modum formamque procedendi complexus eſt, huic quoque rei proſpexit, quæ poſtmodum pro rerum temporumque circumſtantiis renovata & adaucta eſt, ut *ex Ordinatione*, *ultima Novembris* 1602. promulgatâ liquidò apparet: Ita tamen ut aſſerere audeamus, nullibi tam exiguum *Advocatis* ſalarium conſtitutum eſſe, quàm in *Friſiâ patriâ noſtrâ*. Teſtati id ſunt apud nos ſæpè diverſarum circumjacentium nationum incolæ, coram ſupremo hoc *Senatu* litigantes: Et res ipſa quoque loquitur, cùm ex multis *Advocatis* hujus Curiæ, pauciſſimi noſtro ævo reperti ſint, qui ex ſolâ praxi forenſi, lautas facultates liberis ſuis reliquerint. Unde conjicere licet, quantopere à ſcopo humanitatis æquitatiſque aberrent, qui hac in parte *Advocatis* hujus Curiæ parum æquos ſe præbent. Interim tamen hæc ita accipi nolumus, quaſi nos *Advocatis* feneſtram aperire velimus, ut contemptâ Curiæ ordinatione, à clientibus quantum velint, extorqueant. Id enim bonâ conſcientiâ fieri nequit, ſed ut omnibus iis qui *Advocatorum* conditionem & beatam quaſi ſortem plenis buccis decantant, & tanquam albæ gallinæ filiis invident & detrahunt, os obſtruamus;

mus; qui nullâ laborum, periculorum, ſumptuumque juris ſtudio tot annis impenſorum habitâ ratione, ſplendidam (ut plurimum re domi anguſtâ) illorum miſeriam, tantopere admirantur & prædicant. Antequam autem hoc caput abſolvamus, præmonitos *Advocatos* cupimus, ne frænos cupiditati laxantes, Curiæ ordinationem, nuper renovatam & adauctam non modicè, ullo modo tranſgrediantur, ne illicitum exigentes & accipientes lucrum, ſeſe peccato involvant, & honoris atque exiſtimationis jacturam inſuper faciant, ſemper iſtius ſententiæ *Aſcræi poëtæ* memores,

μὴ κακὰ κερδαίνειν κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτησιν.

*Se malè lucreris mala lucra æqualia damnis*,

qui cogitare debent, non militibus armatæ militiæ tantum, ſed omnibus iis quoque qui ſtipendia pro functionibus percipiunt, dictum eſſe *à D. Ioanne Baptiſta*; *Eſtote contenti ſtipendiis veſtris*, *& neminem concutiatis*. Ad hos enim verba prædicta quoque pertinere *D. Ambroſius aſſerit ſermone* 7. Quòd ſi in cauſis arduis peragendis, multum laboris ſtudiique ac temporis impenſum adhibitumque contendentes majus conſtituto ac conſueto ſalarium competere ſibi arbitrabuntur, quod ſæpè contingere nemo ignorat, ne clientes injuriam ſibi fieri credant, conſultò facient *Advocati*, ſi Curiæ moderationi rem totam permiſerint, quod & Ordinatione prædictâ exigitur. Id enim ſi fecerint *Advocati*, quod aliquos non ita pridem feciſſe compertum habemus, & Curiæ



Quibusnam casibus Advocati modum salariorum [illegible] statutis positorum transgredi liceat?

riæ & clientibus suis conscientiam fidemque probabunt, & calumniandi occasionem malevolis amputabunt. Illud autem prædicto loco apud *Ulpianum*, *l.* 1. *versic. si cui cautum & seq.* in quæstionem vocati videmus, an *Advocatus* de honorario sibi solvendo, cavere possit, & quatenus illi permissum censeri debeat, cum cliente eo, ac etiam palmarii nomine pacisci atque cavere. Et certo qnidem certius est, omnia istiusmodi pacta cautionesque legibus civilibus esse suspectas, quæ istiusmodi illiciti lucri captationes illiberales & nobili *Advocatorum* professione indignas censent. Nam pactum de quotâ litis, usque adeo exosum habet & reprobat *Imper. Constantinus*, *in l. siquis Advocatorum. C. de postulando*, ut & deprædationem appellet, & *Advocatum* in hujusmodi feritate permanentem professione suâ penitus arcendum decernat. *l. litem. C. de procurat. l. si qui C. de postulando.* Amplius addunt *Impp. Valentinianus & Valens*, nullum cum litigatore contractum, nullamque pactionem iniri permittentes; tantopere istiusmodi litigatorum excoriationes execrantes, ut *Advocatos* turpi tali compendio, lucro pecuniâque captos, veluti abjectos atque degeneres, inter vilissimos numerandos esse, constituant. *l. quisquis §. præterea C. de postulando.* *Gratianus* certè *Imperator* eam in *Advocatis* integritatem fidemque bonam desiderat, ut, si à judice moniti, cuicunque parti patrocinium denegaverint, foro carere debeant; omni spe testitutionis ad agendum exclusi, *l. providendum C. de postulando. versic. siquis.* Sed meritò quærat aliquis, an nullatenus *Advocato* permis-

Quæstio

Resp:

Quæstio

missum sit cum cliente suo de salario pacisci, & an *Impp.* prohibitio nullam prorsus limitationem exceptionemque recipiat? Prohibitio certè generalis est, & universalis negativæ patriculâ concepta, nullam videlicet pactionem, nullumque contractum permittere, *d. l. quisquis. versic. præterea.* Quæ verba *Impp.* glossa ad verba (contractum ineat) ad alios juris gentium contractus quoque, quales sunt emere, vendere, locare, conducere, similesque trahere velle videtur, hâc subjectâ ratione, quod omnia cliens daturus sit, propter timorem litis, sicut infirmus propter timorem mortis, qui & ipse de salario suo pacisci quoque non potest. Quibus tamen non obstantibus, salvô melius sentientium judiciô, rem totam distinctione temperari posse arbitramur, *l. 1. versic. sed hoc ita. versic. seq. ff. d. tit.* *Ulpianum* secuti, qui prohibitionem prædictam ad duos tantum casus restringere videtur, quorum prior est, si suspensâ lite, societatem futuri emolumenti cautio pollicetur, quod *Imp. Constantinus* certæ partis emolumenta vocat, Practici quotam litis, quod pactum nullo modo toleratur, sed pœnis competentibus coërcetur *l. litum. C. de procuratorib. l. si remunerandi. §. finali, ff. Mandati. d. l. si qui Advocatorum.* Posterior, si lite pendente, cum cliente, quem in propriam recepit fidem pactionem ineat *Advocatus*: induceret enim *Advocatum* ad calumniosè agendum, teste *Bart.* Istis siquidem duobus casibus pactionem prohibitam esse, extrà controversiam est: & ratio quidem posterioris prohibitionis esse videtur, quod post nudata secreta causæ, litigatori tutum non sit, *Advo-*

*catum* offendere aut dimittere, aliique litem peragendam demandare. Quæ ratio cum in pacto, lite necdum intentatâ atque re adhuc integrâ cesset, dicendum videtur, istiusmodi pactiones reprobatas prohibitasque non esse, cum clienti integrum sit, si cum *Advocato* litem suscepturo de salario convenire non possit, eô relictô alii causam agendam exequendamque committere. Illud autem dubitationem non habere existimamus, licere nimirum *Advocato* cum cliente hoc modo pacisci, si victor existas, 20. solves (exempli gratiâ) si causâ cecideris, nihil omnino, quod nos aliquando fecisse recordamur, clientibus talem conditionem ac pactionem spontè offerentibus. Tametsi & alias cautiones; exceptâ eâ quæ de quotâ litis dicitur, licitas permissasque esse, dici posse videatur, juxtà ea quæ tradunt Interpretes ad *Tit. C. de suffragio. Guido Papa q.* 102. Quæ tamen limitationem atque restrictionem eam recipiunt, nisi licitam centum aureorum quantitatem pactio excesserit. Id enim nullo casu sibi permisum esse quisquam arbitrabitur, *d. l.* 1. *versic. cui cautum & seq.* cum ea summa vel avarissimo cuique in foro Curiaque hac causas agenti sufficere debeat. Pro colophone illud adjiciendum existimamus, melius facturos *Advocatos*, si ab hujusmodi pactionibus *Ordinatione Imperatoris Caroli V. anno* 1554. *artic.* 95. vetitis, quas *Plinius Epistolâ ad Rufum*, fœdissimas vocat, omnino abstinuerint. Quod dictus *Plinius Secundus* sui temporis celeberrimus *Advocatus Epistolâ ad Valerianum scriptâ*, *lib.* 5. *Epistolarum*, se fecisse gloriatur & non modò pactione,

one, dono, munere, verum etiam xeniis ſemper abſtinuiſſe teſtatur: quod nos de nobis prædicare non poſſumus, fatemur ſincerè quod res eſt, & ſi quid hâc parte peccatum cenſeatur, Patriæ conſuetudini adſcribendum erit, quâ clientes *Advocatis* ſuis offerre & donare eſcaria parvi pretii conſueverunt. Nos certè non poſſumus non laudare *Plinii* iſtius integritatem & abſtinentiam, verô philoſophô dignam, quam omnibus *Advocatis* commendatiſſimam eſse cupimus. Vulgus ſiquidem hominum literatis infeſtum, odio litium, quæ certè multa ſecum incommoda trahunt, inſectatur *Advocatos* etiam officium facientes, & debito ſalario contentos: Qui utique cogitare debent, civilem ſe ſapientiam, rem ſanctiſſimam, pretioque nummario non æſtimandam tractare, *Ulpiano* teſte, *l. 2. verſic. proinde ff. De variis & extraord. cog.* Cujus profeſſionis dignitatem excellentiamque præ oculis habentes, utique operam dare, ſummiſque viribus adniti debent, ne ullam ei labem, ac ignominiam adſpergant. Quod futurum eſt, ſi iſtius veteris proverbii ab *Ulpiano* relati memores, ὔτε παντα, ὔτε πανʖοτε, ὔτε περὶ πάντων, *L. ſolent. ff. De offic. Proconſ.* nihil ſordidè, nihil avarè, nihil turpiter, in petendo ſalario fecerint, ſed Ordinatione vel moderatione Curiæ contenti re ipsâ declaraverint, magis ſacroſanctæ *Iuſtitiæ* adminiſtrationem executionemque quàm lucri divitiarumque ſuarum incrementum, ſibi cordi eſse. Quo ipſo coram DEO & hominibos teſtabuntur, ſe veros, non ſimulatos eſse philoſophos & quidem *Chriſtianos*, qui contemptis ſpretiſque hujus mundi opi-

opibus fluxis, ac perituris, primum regnum Dei; ejuſque juſtitiam quærunt, non ignari, cætera omnia ſibi adjectum iri, teſte Christo, *Lucæ* xii. ut tandem emenſo hujus vitæ curriculô, eoque ſobriè, juſtè pieque tranſacto, beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & *Salvatoris noſtris* Iesu Christi, expectare poſſint, qui apud Patrem humani generis *Advocatus*, pro noſtris omnium peccatis, Apoſtolo teſte, vera eſt propitiatio. *Epiſtola* Ioannis i. *cap.* ii.

*Epi-*

# *Epilogus ſeu Peroratio.*

HÆc ſunt, GISBERTE *fili*, quæ de officio *Advocati*, & hujus ſupremæ Curiæ Stilo, optimo certè zelo meditati ſumus: quæ tametſi demiſſo & non affectato dicendi charactere conſcripta ſint, (neque enim ad dictionem illam *Lipſianam* inſolentem & elaboratam adſpirare cuivis contingit) ſperamus tamen, rem ipſam, bonis omnibus gratam, tibi verò *Tyronibuſque*, quibus ſcripta ſunt, non inutilem fore. Nos enim non aliis, quam praxin forenſem hujus ſupremæ Curiæ aggreſſuris, viam oſtendimus, quâ ad eam ritè legitimeque exercendam pervenire poſſint. Scripſerunt alii de *officio Advocati*, utpote *Ioannes Baptiſta Caccialupi*, & *Lancelotus Politus*, quos nos legimus: ſed ita ſuccinctè & breviter, ut illorum operâ parum nos adjutos profiteamur. Tractant enim quæſtiones quaſdam, ad rem non pertinentes, & quæ dubia non ſunt, in diſceptationem vocant; quales ſunt: An *Advocati* officium de jure divino licitum ſit: An ſit laudabile & vitæ humanæ neceſsarium (quod tamen *Imperatores Leo & Anthemius*, *l. Advocati. C. d. Advocatis diverſ. judiciorum*, *& l. laudabile. Tit. ſeq.* diſertis verbis aſtruunt & prædicant:) An pro patrocinio & conſilio, ſine labore præſtito, juſtè ſalarium accipiat *Advocatus*: An pauperibus gratis patrocinari teneatur, & alias conſimiles. Quid enim attinet iſtiuſmodi quæſtionibus, ratione dubitandi carentibus, chartam replere? Nos eum tantum ſcopum nobis propoſitum habuimus, ut paucis & craſsâ (quod

dici solent) *Minervâ* describamus, quid *Advocatus* in tractandis litibus, causisque forensibus, & facere & vitare debeat; Ordinem judiciarium, ac Curiæ stilum secuti. Reliquum est, ut tu, qui eam, nobis suadentibus, favente *Minervâ*, ingressus es, & strenuè jam in eâ progrederis, ita te componas gerasque, ut omnibus bonis fidem facias, nihil te præter boni viri, ac *Christiani Advocati* officium unquam facturum. Loquor autem de integritate animi, & voluntate, propositòque rectè agendi: Nam si vel praxis ignoratione, vel inconsideratè, in aliquâ parte officii peccatum quid erit, nihil lædit existimationem, licet culpam non effugiat, qui hallucinatur in eo, quod ad professionem suam spectat. Tuum erit, GISBERTE fili, hæc ipsa, ut monita paterna, præceptionesque Curiæ, cui jurejurando obstrictus es, amplecti, diligenter observare, & re ipsâ ostendere, tibi, qui magnis sumptibus, laboribusque ac vitæ periculis, (quibus *Imper. Fredericus* juris studiosos obnoxios esse testatur, *Auth. habita. C. ne filius pro patre.*) in *Gallico* carcere crudelissimo, injustissimo, ac diuturno exantlatis, Doctoralem Lauream in *Pontimussanâ Academiâ* (in quâ celeberrimum illum *Petrum Gregorium* docentem audivisti) cum laude adeptus es, ut accepimus, nihil prius neque potius esse, quàm in hâc *Advocationis* palæstrâ ita decertare, ut non solum nomen bonum famamque apud *Frisios tuos*, aliosque, qui operâ tuâ usuri sunt, consequaris; sed etiam vel maximè, ut decurso hujus vitæ curriculô, regni cælestis ac beatæ immortalitatis particeps fias, sine quâ omnes omnium hominum actiones, vanæ ac infrugiferæ censeri debent.

bent. Ad quam tibi aditum parabis; ſi in ſolo CHRISTO ſpe poſitâ, extrà quem nulla cuiquam ſalus ſperanda eſt, *Actorem cap.* VI. memor fueris ſententiæ iſtius celeberrimæ, *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur.* MATH. *cap.* XVI. Quam qui cordis ſui penetralibus infixam habet, nihil injuſtè, nihil ſordidè, nihil ſubdolè, faudulenterque facturus eſt, non litem redempturus, aut de quotâ illius cum cliente pacturus, etiamſi cunctos homines fallere ac latere poſſet, qui ſemper DEUM præſentem credens, utique cavebit, ne quid vel opere, vel verbo committat, quod oculos futuri judicis offendere queat. Quemadmodum autem ſemper & ubique fidem bonam, induſtriam, atque modeſtiam in exercendâ praxi tibi commendavi, ita quoque quàm poſſum maximè, te hortor atque obteſtor, ut avaritiam, deterrimam & execrandam peſtem, ordini noſtro proverbialiter, (quod enim lingua cauſidici damnifera ſit, niſi funibus argenteis circumligetur) vulgò adſcriptam, quam longiſſimè, CHRISTO præcipiente, à te pellas, ac cane pejus & angue (ut habet proverbium) fugias. Illa ſiquidem neminem non tentat, & præſertim iis, qui captandis ex arte lucris nimis addicti ſunt, LUCÆ XII. inſidias ſemper ſtruit. Velim itàque, GISBERTE fili, ſi diteſcendi cupiditate abripi te ſenſeris, ut cogites, quàm hæc mundana & externa bona ſint fragilia, lubrica & vana, quæ teſte *Plinio ſecundo*, poſt te alium atque alium dominum ſortientur, & quantis periculis, tum corporalibus, tum ſpiritualibus, obnoxia ſit hæc vita noſtra, quæ animum noſtrum è re-

Dictorium vulgi in Advocatos:

cto statu pellunt ac evertunt. Laqueis undique cincti sumus, & quasi affectionum clavis perforamur. Quod ipsum pulchrè describit *D. Ambrosius Episcopus Mediolanens. in Tractatu de Bono mortis*, *cap.* v. his verbis: *Laqueus in auro, viscum est in argento, nexus in prædio, clavus in amore dum aurum petimus, strangulamur, dum argentum quærimus, in visco ejus hæremus, dum prædium invadimus, alligamur. Et paulo post: Clavus est libido, clavus tristitia, clavus superbia, clavus iracundia, clavi sunt omnes passiones, quæ velut veru quoddam animam nostram penetrant, & infigunt corpori, visceribusque ejus annectunt. Fugiamus ergò hæc mala, & exaltemus animam nostram ad illam imaginem* DEI *& similitudinem, quæ fugâ peccatorum, & virtutibus acquiritur. Anima nostra alta petat, suprà nubes volet, renovatis splendescat exuviis, cælo volatus nostros inferat, ubi in laqueos incidere non possit. Avis enim, teste eodem Ambrosio, quæ descendit ex alto, vel quæ in altum extollere se non potest, frequenter aut laqueis capitur, aut visco fallitur, aut quibuscunque irretitur insidiis.* Ut autem prædicta mala declinare, effugere, atque evadere possis, author tibi sum, atque hortor quantum possum, ut literas sacras tibi, meo exemplo, familiares reddas, & quod suadet *D. Hieronymus*, de manibus tuis nunquam deponas. Latet enim in illis, teste *Ioanne Pico Mirandulano, Concordiæ Comite, in Epistolâ ad Ioannem Franciscum, ex fratre nepotem.* cælestis quædam vis viva & efficax, quæ legentis animum, si modò eas purè humiliterque tractaverit, mirabili quadam potestate transformat, has & harum præcepta cælestia penetra-

li-

libus mentis tuæ imprimas, ac tabulis cordis tui inscribas. Quarum vim & utilitatem describens *D. Paulus Apostolus Epist.* II. *cap.* III. Timotheum hortatur, ut in illarum lectione perseveret, hac subjectâ ratione, quod ad salutem ipsum instruere valeant, & concludens sermonem, inquit, *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, ut perfectus sit homo* DEI, *ad omne opus bonum instructus.* Cujus *Apostoli* authoritatem secutus, eas volve & revolve, & nocturnâ verses manu, versesque diurnâ, eas domi legas, eas foris ac in itinere, quod magnum illum *Hopperum* facere consuevisse accepimus, tecum circumferas, ut prædictorum commodorum compos fias. Illud te admonitum velim GISBERTE fili, ut hæc duo nunquam obliviscaris, & filium DEI pro te esse mortuum, & te quoque etiamsi diu vixeris, brevi moriturum: Hisce quidem quasi geminis stimulis, altero quidem timoris, amoris altero, urge equum tuum, per breve stadium momentaneæ vitæ, ad præmia felicitatis æternæ, quando nullum alium finem præfinire nobis aut debemus, aut possumus, quàm ut perpetuâ utriusque hominis pace, infinito bono fruamur. Cujus quidem tum demum participes reddemur, si persuasum nobis habentes id, quod de *Christianis* prædicat *Athenagoras Atheniensis philosophus, in Apologiâ pro Christianis ad Imp.* nos & universum mundum totius vitæ hîc transactæ, rationem redditurum conditori DEO, modestam, humanam & tenuem vitam eligamus, nullum tam grave malum nos hic passuros rati, etiamsi animam nobis aliquis eripiat,

piat, ut cum præmiis illis conferri queat, quæ illic ab judice magno pro vitâ placidâ, humanâ, & justâ percipiemus. Ad quæ consequenda velis equisque, ut habet adagium, contendere, adspirare & anhelare debemus. Hoc negocium nostrum, hoc ocium, hic labor, hæc quies esse debet, in his vigiliam, in his etiam somnum reponamus. Denique unam hanc petamus à domino, hanc requiramus, ut inhabitemus in domo domini cum consensu, omnibus diebus vitæ nostræ. Longius me provexit dulcedo quædam tecum loquendi, & quæ dicta sunt inculcandi ac infigendi. Proinde iterum atque iterum te moneo, GISBERTE fili, hortor; atque pro jure meò tibi præcipio, ut in praxi exercendâ summâ fide, pari constantiâ, nec verecundiâ minore verseris, & non tam famam quàm conscientiam tuam verearis, ac apud te non minus honestas, quàm necessitas apud alios valeat. In auditorio nihil incondito turbidoque clamore agas, nemini convicium vel verbis, vel scriptis facias, sed unicuique, juxtà *D. Pauli Apostoli Epist. ad Rom. cap.* XIII. præceptum, quod suum est tribuas, cui honorem, honorem; cui timorem, timorem. In eo enim versatur munus ac officium jurisconsulti ac *Advocati*, cui toto velim animo vaces, ac *Spartam* quam nactus es ornes. In primis verò pupillorum, viduarum, peregrinorum pauperumque causas justas, prompto & alacri animo, absque salarii spe, si inopes sint, defendendas suspicias. Ita enim futurum est, ut DEI OPT. MAX. favorem, gratiam ac misericordiam sis consecuturus: Qui nihil acceptius sibi fieri posse apud prophetam *Hierem. cap.* 21. testa-

teſtatur his verbis, *Facite judicium & juſtitiam, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris, & advenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare, neque opprimatis iniquè.* Id ſi feceris, GISBERTE fili, uti te facturum ſpero & confido, eveniet tibi quod per *Eſaiam Prophetam cap.* LVIII. reliqua miſericordiæ opera ibi numerata facienti DEUS promittit: *Erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam juſtitia, & gloria domini colliget te.* Tunc invocabis, & dominus exaudiet te, clamabis, & dicet, ecce adſum. Porrò cum haſce de officio *Advocati* & ſupremæ Curiæ Friſiæ Stilo meditationes, nulli alii quàm tibi inſcripſerim, & præter morem ac conſuetudinem, patronum nullum delegerim, tibi incumbit, ut eas, velut primum ingenii mei fœtum, in his tantum quæ veritate nituntur, adverſus invidos ac iniquos cenſores, foveas, tuearis, atque defendas. Quod eò quidem facilius præſtabis, quòd ego *Plinii illius Secundi* morem in publicandis ſcriptis ſecutus, eas in publicum emiſſurus, doctiſſimorum quorundam juriſconſ. praxin callentium, amicorum meorum judicio, antè examinaverim, & ipſemet quoque ſæpè ſub limam revocaverim. Quod ſi non omnibus eas placere iutellexeris, nec te, nec me turbare debet, cum vix unquam quiſquam repertus ſit, qui omnibus lucubrationes ſuas probare potuerit. Quis enim ignorat, varia eſſe hominum judicia, varias cogitationes? Adniſus tantum ſum tyronibus inſervire, ut illi, vitatis ſcopulis quibuſdam, in hoc freto practico occurrentibus, abſque diſcrimine, recto curſu portum ſubire queant. Fateor equidem,

dem, esse quædam in his meditationibus meis, quæ & plenius, & accuratius tractari possint, sed ut vetus habet dictum, non omnia possumus omnes: bona certè voluntas mea, quæ in magnis vel sola probatur, de tyronibus hujus supremæ Curiæ *Advocatis* benemerendi, etiam viribus destituta, apud æquos rerum æstimatores, laude suâ caritura non est. Mihi suffecerit, GISBERTE fili, si ad pietatem, & in causis agendis integritatem, hisce meditationibus meis, tibi nunc etiam sponte currenti, calcar additum percepero. Quid enim, quæso, magis in voto mihi esse potest, quàm ut tu, qui primogenitus filius es, & ad virilem ætatem jam pervenisti, reliquis liberis meis, si quid humanitus mihi, annum sexagesimum secundum agenti acciderit; fido consilio & ope adsis, & apud *Frisios* tuos, nec non exteros, operam tuam requisituros honestum tibi nomen pares. Quod ipsum si consecutus fueris, (consequèris autem, si monita præceptaque, hisce meditationibus meis comprehensa, diligenter observaveris, factisque expresseris: virtutis enim laus omnis in actione consistit. *Cicerone* teste) utrique nostrum optimè consultum erit: Nam & tu bonæ conscientiæ testimonio fultus, hilarem jucundamque hîc vitam duces, ac corpore spoliatus, cum CHRISTO sine fine victurus, & ego reliquum vitæ meæ tempus quod superest, piis meditationibus transmittens (causis enim agendis abstineo) de viatico ad longum illud iter conficiendum necessario, paulatim & seriò mihi prospiciam, & gradibus ad meliora conscendam. *Vitæ namque summa brevis* (*ut Poëtæ verbis utar*) *spes me vetat inchoare*

lon-

*longas*. Quid enim aliud ſperare vel debeo vel poſſum homo ſenex, quàm ut & ſpretis contemptiſque omnibus hujus ſeculi curis & illecebris, pravis affectibus devictis, omnibuſque turbidis animi motibus cohibitis, nec non pietatis charitatiſque operibus præſtitis, divinam gratiam ac miſericordiam mihi comparem, ut eâ tectus atque munitus, à morte ſecundâ illæſus permaneam, quod mihi DEI & beatæ *Virginis* filius IESUS CHRISTUS humani generis *Servator* concedere dignetur, AMEN.

FINIS.

# *Elenchus Capitum*

## HUJUS

# TRACTATIONIS.



Cap. 11.

FINIS.